Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 4K2R .

Digitized by Google

Dg
1587

689 R.C.
Canisius

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Vera Effigies

V.P. PETRI CANISY

Societatis IESU Theologi.

Digitized by Google

Summa
Doctrinae Christianae,

ex

postrema recognitione

Doctoris

Peter Canis

Petri Canisii,

Societatis Jesu Theologi,

(1504)

secundum editionem:

Antverpiae,

Ex officina Christophori Plantini, Architypographi regii.

MDLXXXVII,

DIVINITY SCHOOL LIBRARY HARVARD UNIVERSITY

novissime edita.

LANDISHUTI,

ex officina Josephi Thomann, MDCCCXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefatio
ad
novam editionem
Summae
doctrinae christianae
Petri Canisii Theologi.

Hic etenim apparet illud antiquum et immortale opus, quod ex mente et calamo Petri Canisii, venerabilis Theologi decimi

*

Digitized by Google

sexti Saeculi, effluxit, illius viri, qui inter praeclara illius temporis organa quam maxime excelluit in conservanda propagandaque vera, videlicet catholica Religione.

Non opus est, litteratis viris de nostro celeberrimo viro, ejusque excellenti et pretioso opere hic multa enarrare, cum jamjam in novissime praeterito anno amplior dissertatio *), quae utrumque, auctorem nempe et auctoris opus, celebravit, in germanica lingua separatim apparuerit.

---

*) Vide Apologie oder Schutzrede des ehrwürdigen Theologen und Lehrers Petrus Canisius, und seines unsterblichen Werkes: Summa Doctrinae christianae. Landshut 1822. bey Joseph Thomann.

Digitized by Google

Petrus Canisius vir magnus est, et ipse in omnibus magnus *); et bonum, imo et immortale opus ejus. Artificem vero commendet opus. Idem per editionem publicam omnium sit manibus oblatum. Hocce opus praeclarum in eadem Summa, in qua illud anno Christi MDLXXXVII. per venerabilem autorem ipsum in officina plantiniana

---

*) Legimus haec Disticha, quae imaginibus Patris nostri Petri Canisii Theologi inscripta reperiuntur:

Hunc habuit Petrum felix Germania Patrem,
Quem stupuere olim Curia, Templa, scholae.
Nunc sculpta aere quidem fas est haec ora tueri,
Illius at Vita est suscipienda magis.

Erudit ille stylo Populos, hic fulmine linguae
Incendit, castis moribus iste trahit.
Millibus e multis da, qui simul omnia possit;
Haec potuit noster Caesare teste Petrus.

Digitized by Google

originaliter apparuit, iterum nunc non mutatum editur. Edicta principum omisimus, quia eadem tantum pro tempore edita fuere, pro illis tantum temporibus Legis virtutem obtinuerunt. Sufficit adhuc, de iisdem commemorare, cum ipsa sunt testimonia splendida, quod opus venerabilis Theologi Petri Canisii ab Ecclesia Christi celebratum, nec minus a Principibus quam maxime honorificatum est. Petrus Canisius ipse Praefationem praeclaram operi suo praeposuit, quae immediate hic sequetur.

Annotationes sacrorum fontium, ex quibus Veritas christiana fuit hausta, nempe validissimorum testimoniorum in marginibus

Digitized by Google

prope textum exposuimus. Namque veritas est positiva, est historica, et ipsa igitur est demonstranda. In illis annotationibus fontium veritatis omnes versus Bibliae sacrae, quod antiquitus non fiebat, nec fieri poterat, diligentissime nunc appositi sunt, res permagni laboris.

Deus omnia et per omnia regnans, Deus Opt. Max. hocce opus, de novo editum, etiam in nostris temporibus, sicuti in diebus venerabilis nostri autoris, quasi lumen parare atque vim ad animos in unice vera Religione Jesu Christi illuminandos atque confirmandos, nec non editoris nomen in librum vitae inscribere dignetur.

Digitized by Google

Hic igitur non subscribatur nomen editoris, sed autoris unice solum, quod haud dubio in regno Coelorum sicuti stella primi ordinis nunc et in aeternum splendet, in fronte libri fulgeat.

In festo S. Leonis Magni, Papae. MDCCCXXIII.

Digitized by Google

Ad

Senatum Populumque Coloniensem

Petri Canisii Theologi

Praefatio.

Mitto ad vos Catechismum, sive, ut ego dicere malui, Christianae doctrinae summam, Lectissimi Amplissimique Viri, opus quidem puerile, ut nonnulli fortassis existimabunt, et antehac saepius editum, sed quod viros etiam exerceat, et cui supremam ego manum nunc tandem impono. Cum autem ante decennium Viennae versarer, et laudatissimo Regi Ferdinando, qui postea Caesar declaratus est, a sacris essem concionibus; hoc ego qualecun-

Digitized by Google

que opus, ut ingenue fatear, eodem Principe sic postulante conscriptum, in lucem primum dedi. Causas edendi repetere non attinet, ut quas optimus ille Maecenas in suo vel diplomate, vel edicto, quod operi praefixum extat, in medium profert. Neque mihi hoc vitio vertendum puto, quod idem liber absque Auctoris nomine prodierit saepe: etsi postea Veneti et Galli, dum opus recudunt, me quidem inscio, nomen meum adscripserunt. Ego vero talis tantique Principis, qui facile primas in Germania tenebat, tum auctoritate, tum mandato contentus, Deo magis quam hominibus conatum hunc nostrum comprobare volebam. Nam et nominis expressi additamento id futurum providebam, ut multorum in me odia concitarem, et virulentos calamos acuerem. Adeo nihil fere tam exactum et elaboratum nunc editur, quin momos ilico reperiat, et crabrones ultro irritentur. Neque sane mea me fefellit opinio, quod verebar, evenit. Ita neque nomen studiose suppressum, neque servata ubique styli modestia, cum saepe adversarios insectari potuissem, profuit, quominus clam palam hujus laboris ergo morderer atque

Digitized by Google

proscinderer: Christo interim Opt. Max. qui et ipse cum ageret optime, audivit a suis pessime, gratias ago singulares, quod me dignum fecerit latratibus atque morsibus sectariorum, praesertim quorum jam damnata est, et posteris execranda erit memoria in Ecclesia Dei. Horum saevas in me sententias et iniquas damnationis leges surdis veluti auribus praetereo. Etenim ab Ecclesiae Catholicae hostibus, multarumque haeresum patronis reprehendi, quid est aliud quaeso, quam commendari, et bonum Ecclesiae civem magis magisque bonis omnibus comprobari? Nos quicquid hic scripsimus, non quaestus, mercedis aut gloriae cupiditate pellecti, non hominis odio, vel amore provocati, sed, quod sancte jurare possumus, Religionis et veritatis illustrandae studio permoti, et ab illo Caesare impulsi sic scripsimus, ut Catholicorum, et praecipue Germanorum, commodo publico inserviremus. In scribendo autem non sane nostrum, aut ullius privatum, sed communem Ecclesiae Catholicae sensum et consensum secuti sumus, ac sequi porro ex animo desideramus. Si quis vero est imbecillior, quam qui adversariorum iniquam de-

Digitized by Google

libro censuram possit negligere, hic primum cogitet secum causam quae oppugnatur, cum universa Ecclesia, quae Catholicae nomen meretur, nobis esse conjunctam: deinde majora et plura quidem nobis favere quam obstare suffragia intelligat. Loquor autem de iis testibus, quos omni exceptione majores Caesar in sua praefatione produxit, nimirum Principes, Magistratus, Curias, Gymnasia: nam ab his librum eundem studiose legi, legendumque proponi, et publice defendi, nobis etiam tacentibus passim res ipsa declarat. Verum imprudenter ago fortasse, qui sanctae simplicitatis oblitus, haec persequor, velut satis non habeam Ecclesiae sanctae auctoritate fulciri, sed hominum quoque favorem et judicia morer. At cupio sane, quoad ejus fieri potest, infirmorum vitare offendiculum, et providere bona (ut Paulus jubet) non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Igitur veniam ab omnibus, qui recte et candide judicabunt, me haud gravatim impetraturum confido, quod in hac editione nomen meum profitear, cum idem in exemplaribus, non paucis jam ante (ut dixi) editis circumferatur, cum et Caesar hoc aperte

Digitized by Google

in suo edicto expresserit, cum demum et lege sit cautum ecclesiastica, ut liber nullus absque auctoris nomine et inscriptione probetur. Caeterum in hac editione, aut potius operis recognitione, ingenue fatebor id accidisse mihi, quod aliis saepe doctioribus usu venire solet, ut ad sensum illustrandum juvandumque lectorem nonnulla immutaverim, multa etiam adjunxerim. Quod studium aequis quidem censoribus molestum esse non potest, ut qui re ipsa saepe comperiunt, haud temere jam olim dictum esse illud: Posteriora consilia melióra. Quanquam per nos etiam licet, si quibus ita lubet, ut prior editio retineatur. Nam utramque Catholicam, et in astruenda veritatis doctrina consentientem esse, docti deprehendent. Accessit porro huic editioni tractatio, eaque momenti nunc sane maximi, de hominis lapsu et justificatione, quemadmodum Tridentina Synodus gravissime docuit ac praescripsit. Nos veluti lac parvulis praebuimus, dum prima et faciliora Christianae doctrinae seu capita, seu elementa percurrimus. A lacte porro ad solidiorem cibum, hoc est, a Catechismo ad praeclaram et absolutam hanc de Justificatione

Digitized by Google

doctrinam sunt adducendi, qui velut ephebi in Christo grandescunt, et sublimiora quaedam pietatis dogmata possunt capessere. Nec video sane, quid tanta de re gravius, commodius, absolutius et necessarium magis in medium possit adferri, quam quod est a Synodo dicta profectum, nimirum ut veritatis de Justificatione doctrina, quae maxime oppugnatur, sincere conservari ac integre defendi queat.

Sed jam tempus est, ut ad vos redeam, praestantissimi Viri, qui rem vestra quidem humanitate dignam, mihique pergratam feceritis, si opus hoc recognitum, ut dixi, multisque in locis locupletatum, quod reverenter a me nomini vestro nuncupatur, aequi bonique consulatis. Neque vero mihi desunt causae hujus nuncupationis. Primum enim cupiebam observantiae ac gratitudinis erga vos meae testimonium aliquod exhibere, ut qui multis annis in spectata Republica vestra versatus, cum liberalium artium, cum sacrae Theologiae studiis apud vos operam dederim. Adhaec Catholicum opus ejusmodi Patronis vel maxime commendandum erat, qui de re Catholica praeclare meriti, ingentem suae pietatis ac defensae reli-

Digitized by Google

gionis gloriam essent consecuti. Ubi non praedicabo, ut sane possem, Remp. vestram, quae non frustra tot seculis hoc insignitur elogio, ut inter Germanicas omnes jure quodam suo dicatur, et sit Felix Agrippina Colonia, sanctae Rom. Ecclesiae fidelis filia. Parum sit, Urbem vestram in Romano imperio nulli secundam, sanctorum Martyrum sanguine mirifice consecratam, fortunis ac opibus abundantem cernere. Mirentur alii vetus apud vos Gymnasium et celebre emporium. Ego vero in primis hoc nomine vobis gratulandum, summasque summo Deo gratias agendas esse duco, quod Apostolico praeconio jam olim Romanis delato vos quoque dignos redditis, ut fides vestra in universo mundo annuntietur. Igitur, ut avitam, certam et integram religionem conservetis, quo nihil habetis aut sanctius aut antiquius, impiis quidem novationibus ac profanationibus nullum in Repub. vestra locum relinquitis, sectarios autem horumque conatus, qui vobis saepe insidiantur, non minus prudenter quam fortiter profligatis: tum praeclaro vestrae pietatis zelo id perficitis; ut cum alibi passim distracta sint religionis studia, et sectae inter se prorsus dissectae

Digitized by Google

pestilenter vigeant; tamen apud vos cor unum et anima una, unum etiam ovile sub uno pastore usque perseveret. Ita demum re ipsa declaratis, haud temere dictum esse, quod auctor vetustus, et veritatis comprobandae magis, quam styli ornandi studiosus memoriae prodidit, cum Urbem vestram his verbis jam in Ecclesiae vestrae usum receptis commendavit: *Postquam fidem suscepisti Civitas praenobilis, recidiva non fuisti, sed in fide stabilis.* Invideant haec vobis felicitatem illi, qui depositum a Paulo commendatum non custodiunt, sed in aliud quodvis Evangelium, quam quod Apostoli annuntiarunt, transferri se patiuntur, neque raro fidem perinde ac monetam commutant. Deum immortalem ex animo precor vobis, ut hanc gratiam et fidei constantiam, qua praelucetis Germaniae, perpetuam esse velit. Coloniae Agrippinae feriis Epiphaniae Domini, Anno Virginei partus MDLXVI.

Digitized by Google

INDEX,

totius libelli ordinem et summam complectens.

Christiana doctrina circa Sapientiam et Justitiam versatur.

Ad Sapientiam, quae ordine sequuntur, et infra tractantur, capita referri possunt:

1. De Fide et Symbolo Fidei.
2. De Spe et Oratione Dominica, cum Angelica Salutatione.
3. De Charitate et mandatis Decalogi cum Ecclesiae praeceptis.
4. De Sacramentis.

Ad Justitiae priorem partem, quae in malis fugiendis est sita, pertinent haec:

1. De peccatis septem capitalibus.
2. De peccatis alienis, culpa aliqua nostra ad nos pertinentibus.
3. De peccatis in Spiritum sanctum.
4. De peccatis in coelum clamantibus, et de peccatorum expiatione.

Digitized by Google

Ad Justitiae partem alteram, quae in bonis faciendis aut consectandis est posita, rectę referri possunt:

1. Bonorum operum genera triplicia: Jejunium, Oratio, Eleemosyna cum operibus Misericordiae.
2. Virtutes cardinales.
3. Dona et fructus Spiritus sancti.
4. Octo Beatitudines.
5. Consilia Evangelica.
6. Quatuor hominis novissima.

Ad Christianae doctrinae totius summam unico ceu verbo comprehendendam, Ecclesiastici sententia notatu digna est, qui ait:

Eccli. 1, 33. Fili concupiscens Sapientiam, conserva Justitiam, et Deus praebebit illam tibi.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

I.

Quis dicendus est [a] *Christianus?*

a Act. 11, 27. 1. Pet. 4, 16.

Qui baptismatis Sacramento initiatus, Jesu Christi veri Dei et hominis salutarem doctrinam in ejus [b] Ecclesia profitetur.

b Athan. contra Arian. orat. 2. Cypr. epist. 2. lib. 4. et de simpl. prael. Ignatius ad Magnesian. August. tract. 113. in Joan. et serm. 181. de tem. c. 12. Item in Enchir. c. 5. Tertull. lib. de pudicitia, et de praesc. haeretic.

Omnes proinde cultus et sectas, quae extra Christi doctrinam et Ecclesiam ubivis gentium reperiuntur, ut est Judaica, Ethnica, Mahometica, Haeretica, damnat et detestatur penitus, qui vere Christianus est, et in ipsa Christi doctrina firmiter acquiescit.

II.

Quo compendio Christianam doctrinam licet complecti?

Ut nimirum Christianus ea norit et observet, quae tum ad [a] Sapientiam, tum ad Justitiam spectant. Sapientia, ut Augustinus [b] ostendit, circa virtutes versatur Theologicas: [c] Fidem, Spem et Charitatem, quae et divinitus infunduntur, et cum in hac vita pure maximeque excoluntur, beatos

a Ecclesiast. 1. 33.

b Lib. 2. Retracta. c. 63. et Ench. c. 2. et 3.

c 1. Cor. 13, 13.

Digitized by Google

homines divinosque reddunt. Justitia vero [d] duabus partibus, declinatione a malo, et boni operatione, absolvitur. Huc enim spectat, quod Propheta inquit Regius: [e] *Diverte a malo, et fac bonum.* Jam ex hisce fontibus, Sapientiae scilicet et Justitiae, non difficulter hauriuntur cetera, quaecunque Christianae quidem institutioni atque disciplinae congruunt.

d Prosp. sent. 98 ex August.

e Psalm. 33, 15. et 36, 27.
1. Pet. 3, 11.

III.

Quid primum traditur in doctrina Christiana?

Fides, janua illa nostrae salutis, sine qua Deum invenire et invocare, Deo servire et placere nullus in hac vita potest. [a] *Credere* enim *oportet accedentem ad Deum*, inquit Apostolus: *qui* [b] *vero non crediderit, condemnabitur, et* [c] *jam judicatus est*, ex Christi sententia.

Rom. 10, 4. seq.
Heb. 11, 1. sq.
Aug. serm. 38. de temp. et serm. de verb. Apost.
Leo serm. 4. de Nat. Dom.
a Heb. 11. 6.
b Marc. 16, 16.
c Joan. 3, 18.

IV.

Quid Fidei nomine intelligitur?

Dei [a] donum et lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur atque adhaeret iis, quae, ut credantur, sunt divinitus revelata, et ab Ecclesia nobis proposita.

Cujusmodi sunt, Deum esse trinum et [b] unum, e nihilo [c] creatum mundum, Deum factum esse hominem, et pro nobis mortem sustinuisse, Mariam [d] et virginem et Dei matrem existere, mortuos omnes ad vitam ex-

a Ephes. 2, 8.
Heb. 11, 1.
Basil. in serm. de fidei confess.
Bern. epist. 190.
August. contra epist. Fundamenti cap. 5.
b 1. Joan. 5, 7.
c Gen. 1, 1. sq.
Joan. 1, 1. sq.
Lucae 2, 7.
Rom. 5, 6.
d Con. Eph. can. 13.
Lucae 1, 35.
1. Cor. 15, 52.
Joan. 3, 5.

Digitized by Google

citandos esse, hominem ex aqua et Spiritu sancto regenerari, totum Christum [e] in Eucharistia contineri, et id genus alia Religionis nostrae veneranda mysteria: quae divinitus revelata, non humani [f] sensus captu comprehendi, sed Fide dumtaxat percipi possunt.

Unde Propheta: [g] *Nisi credideritis*, inquit, *non intelligetis*. Non enim spectat Fides naturae ordinem, non sensuum fidit experientiae, non potentia aut ratione humana, sed virtute et auctoritate divina nititur, illud plane certum habens, summam aeternamque veritatem, quae Deus est, nec falli posse unquam, nec fallere.

Quamobrem id Fidei vel maxime proprium est, ut in [h] captivitatem redigat omnem intellectum in obsequium Christi, apud quem non est difficile, ne dum impossibile, [i] omne verbum. Haec [k] Fides lumen est animae, ostium vitae, fundamentum salutis aeternae.

e Constantien. Florent. Trid. Conc.

f Eccli. 3, 22—26. 2. Cor. 10, 5.

g Esaiae. 7, 9. secundum 70. Basil. in Psalm. 115. et in Morali. reg. 80. c. 21. Gregor. ho. 26. in Evang. Chrys. in 1. ad Corinth. ho. 4.

h 2. Cor. 10, 5.

i Lucae 1, 37. Hierem. 32, 27.

k Euseb. Emis. homil. 2. de symb. Cyrill. catech. 5. Illum. Chrysost. ser. de fide, spe et char. Cyrill. liber 4. in Joan. cap. 6, 47.

V.

Estne brevis aliqua Fidei complexio, ac summa omnium nobis credendorum?

Est illa, quam duodecim Apostoli suo Symbolo tradiderunt, quamque in sectiones, seu articulos duodecim aptem distinxerunt. Dignum sane opus his [a] auctoribus, qui post Christum Dominum Christianae Fidei praecipui et sanctissimi fundatores extitere.

a Clemens epistola 1. ad frat. Dom. Ambr. epist. 81. et serm. 38. August. serm. de Tempore 181. Ruffin. in sym. Irenaeus lib. 1. cap. 2. et lib. 3. cap. 4.

Digitized by Google

Hieron. adPamachium, adversus errores Joan. Hieros. Leo serm. 11. de pass. et epist. 13. ad Pulcheriam et serm. contra Eutychetem. Maximus serm. de tradition. symbol. Symbolum explicarunt. Cyrill. in catechesibus Illum. Chrys. tom. 5. hom. 1. et 2. in symbolum. Ruffin. in symbol. Aug. in enchiridio ad Laur. Item in lib. 1. et 2. de symb. ad catech. In lib. de fide et symb. serm. 115. 119. 123. 125. 131. 181. 192. 193. 194. de tempore.

Quod quidem Symbolum velut illustris nota est, qua Christiani ab impiis, qui vel nullam, vel non rectam Christi Eidem profitentur, discernendi ac internoscendi sunt.

VI.

Qui sunt Symboli hujus articuli?

1. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

2. Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum.

3. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.

5. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

6. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

7. Inde venturus est, judicare vivos et mortuos.

8. Credo in Spiritum sanctum.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

10. Remissionem peccatorum.

11. Carnis resurrectionem.

12. Vitam aeternam, Amen.

VII.

Qua maxime spectant haec Symboli verba?

Hierem. 9, 23. Joan. 17, 3. 1. Cor. 2, 2. 1. Pet. 1, 8. Sapien. 13, 1.

Eo certe, ut veram Dei divinarumque rerum cognitionem, quae ad bene beateque vivendum est cuique necessaria, succincte comprehensam habeamus.

Digitized by Google

Ubi primum et praecipuum habet locum agnitio et confessio sanctissimae Trinitatis, ne ullo modo dubitetur, Deum, quo nihil aut [a] majus, aut melius, aut sapientius potest excogitari, in essentia quidem seu natura divina unum et simplicem, in [b] personis vero tribus esse distinctum, ut alius [c] Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus esse, ante omnia certo credatur. Pater est, qui suum ab [d] aeterno filium generat, fons et opifex rerum: Filius ex Patris genitus substantia, mundi Redemptor est ac Salvator: Spiritus sanctus, qui et [e] Paracletus dicitur, Ecclesiae seu Christi fidelium est administrator. Jam [f] hi tres unum sunt; hoc est, unus, verus, aeternus, immensus et incomprehensibilis Deus.

a Aug. confess. lib. 1. cap. 4.

b Aug. lib. de fide et symb. cap. 9.

c Matth. 28, 19. Athan. in sym.

d Psal. 109, 3. Hebr. 1, 2. 1. Joan. 4, 10.

e Joan. 15, 26. et 16, 7. 14, 16. 26.

f 1. Joan. 5, 7. 1. Tim. 1, 17. 6, 15. Hierem. 32, 17--20. 27.

Pulchrae igitur huic sanctissimae simul et individuae Trinitati partes Symboli tres praecipue respondent: Prima nimirum de creatione, secunda de redemptione, tertia de sanctificatione.

VIII.

Quid sibi vult primus Symboli articulus: Credo in Deum Patrem?

Ostendit nobis primum, Deum unum, et in Deitate primam personam esse Patrem coelestem, aeternum, potentia majestateque summum, cui nihil factu impossibile sit vel difficile; qui vitae ac mortis [a] potestatem omnem obtinet.

Deut. 6, 4. Matth. 6, 9. 1. Tim. 1, 17. Genes. 1, 1. Isai. 53, 1. Job. 37, 3--7. 23. 24. Eccl. 3, 11. Luc. 1, 37. Hier. 32, 17--20. 27.

a Sap. 16, 13. 1. Reg. 2, 6.

Digitized by Google

b Psal. 2, 7.
Hebr. 1, 5.
Rom. 8, 14--19.

c Psal. 32, 6. 9.
Colofs. 1, 16.
Matth. 6, 28--30.
Hebr. 13, 5. 6.
1. Timoth. 4, 10. 6, 17.
Rom. 11, 36.

d Jac. 1, 17.
2. Cor. 1, 3.
Act. 14, 15--17.

e Luc. 12, 15.
Gen. 17, 1. 8.
Psal. 26, 1. 90, 1--6. sq. 124, 1.
Job. 41, 1. 2.
1. Cor. 10, 13.
Eccli. 33, 1.

Is ipse pater filium [b] ex omni aeternitate genuit, et nos hoc tempore gratiae in filios sibi adoptavit. Ejus tanta vis est, ut verbo [c] solo tam visibilia, quam invisibilia produxerit ex nihilo; producta vero usque conservet atque gubernet summa cum bonitate ac sapientia, a quo et ad quem omnia. Ipse [d] Pater luminum, apud quem non est transmutatio; Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis: talis demum ac tantus, ut ad [e] nutum illius supera, terrestria, infera subito pareant: quo duce ac protectore, nos in summis etiam malis atque periculis illaesi ac tuti conservamur.

IX.

Quid habet secundus articulus: Credo in Jesum Christum?

1. Joan. 5, 20.
Luc. 1, 31. 35. 2, 10. 11. 21.
Matth. 1, 21.
Esa. 9, 6. 61, 1. sq.
Lucae 4, 18. 19.
Psalm. 44, 8. 88, 21.
Act. 4, 24--26. 10, 36--41.
1. Reg. 10, 1. sq. 16, 1.
a Joan. 1, 14.
Apoc. 17, 14. 19, 16.
Heb. 3, 1---5. 5, 5—10.
1. Pet. 2, 25.
Col. 1, 18--20. 2, 9.

b Ephes. 1, 3. sq.
Joan. 10, 30. 36.
Hebr. 1, 2. 3.
Apoc. 1, 17. sq.
Matth. 28, 18.
Dan. 7, 13. 14.
Philipp. 2, 5—11.

Commonstrat secundam in Deitate personam Jesum Christum verum Deum, et verum hominem: dictum quidem Jesum, hoc est, salvatorem populi sui: et Christum, id est, unctum Spiritu sancto, ac [a] plenum omni gratia et veritate, Messiam, Regem et Pontificem nostrum, qui primatum tenet in omnibus, et in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis.

Ostendit eundem [b] esse filium Dei unicum a Patre natum, ab aeterno genitum, naturalem, consubstantialem, et ei prorsus aequalem secundum divinitatem: Dominum vero no-

Digitized by Google

strum, et omnium in ipsum credentium, ut quos ipse [c] perditos ex servitute Satanae ultro liberavit, quosque jugo peccati et damnationis obnoxios liberalissime redemit.

c Lucae 15, 9. 22--24. et 11, 21. 22. Rom. 8, 1. 1. Cor. 6, 20. 1. Pet. 1, 18. 19.

Is impiis quoque dominatur, omnia enim [d] pedibus ejus subjecta sunt. Tum vero maxime Dominum [e] dominantium, et Regem regum se improbis ac [f] universo mundo palam declarabit, cum hostes ad unum omnes, quamvis invitos, suae subjiciet potestati, ac veluti [g] paleam igne comburet inextinguibili. Hic dilectus filius, hic noster Emanuel, et audiendus Praeceptor: nec aliud nomen est sub coelo [h] datum hominibus, in quo nos salvos fieri oporteat.

d Psalm. 8, 7. Rom. 14, 9.
e Apoc. 19, 16. 17, 14.
f Matth. 25, 31. 32. 1. Cor. 15, 24—28. Psalm. 109, 1. 2.
g Lucae 3, 16. 22. Matth. 3, 11. 12. 17. 17, 15. Lucae 20, 13. Esaiae 7, 14.
h Act. 4, 12.

X.

Quid credendum proponit tertius articulus: Conceptus est de Spiritu sancto?

Eundem testatur Dominum, qui jam inde ab aeterno genitus a Deo Patre sine matre fuit, propter nos de coelis descendisse, et humanam assumpsisse [a] naturam, qua temporaliter et conceptus sit in Nazareth, et sub Caesare Augusto in Bethleem natus sine patre ex illibata Virgine, operante scilicet in illa sic Spiritus sancti virtute, ut (quod admirationem omnem excedit) Verbum [b] caro, et Deus homo fieret, atque Maria simul Dei mater et [c] virgo esset.

Mich. 5, 1. Joan. 1, 1. 16, 28. 30. Esai. 53, 10. Joan. 6, 40. 46. 51.
a Gal. 4, 4. Rom. 1, 2. 3. Matth. 1, 18. 23. Luc. 1, 26. sq. 2, 1. sq. Esaiae 7, 14. Hierem. 31, 22.
b Con. Eph. can. 13.
c Hieron. in Helvidium. Amb. in epist. 81. Ezech. 44. 2.

Digitized by Google

Haec filii Dei temporalis conceptio et generatio, humanae salutis ac redemptionis [d] primordia continet, nostraeque est forma regenerationis. Qua fit, ut maledicti Adae filii de immundo semine [e] concepti et irae filii nati, purificemur: tum ut e carnalibus spirituales ac plane filii Dei efficiamur in Christo, cui Pater aeternus conformes fieri voluit electos, *ut sit ipse*, quemadmodum [f] Paulus ait, *in multis fratribus primogenitus.*

d Joan. 3, 5. 1. Pet. 2, 1. 2. 3, 21. Hebr. 2, 2—4. 7, 25. Tit. 3, 5.

e Job. 14, 4. Ephes. 2, 3—5. Rom. 6, 3. 4. 8, 1. sq.

f Rom. 8, 29.

XI.

Quid continet articulus quartus: Passus sub Pontio Pilato?

Ostendit Christum, cum praeclare docendi et miracula patrandi finem fecisset, suum pro nobis, qui perieramus, redimendis agonem tandem absolvisse. Itaque licet Agnus esset absque macula innocentissimus, immo et Deus simul immortalis, tamen ut charitatem erga nos suam maximam declararet, passus est ille [a] volens a scelestissimis extrema et acerbissima quaeque: unde nec judicium impii judicis Pilati, quamvis iniquissimum, neque crucem [b] probrosissimum supplicii genus defugit, mortem pro nobis crudelissimam adiens, et sepulturam in alieno etiam monumento delatam non recusans: totum ut se vivens moriens donaret atque impenderet mortalibus.

Quae Christi passio, [c] sanguis, crux, vulnera et mors, peccatoribus

Act. 10, 36—39. Matth. 27, 50. Marc. 15, 24. sq. Esai. 50, 6. 7. 53, 1. sq. Joan. 1, 35. 36. Heb. 7, 26. 1. Pet. 1, 19. 2, 22. sq. Apoc. 1, 17. 18. 1. Tim. 6, 13—16. Rom. 5, 6—10. Joan. 15, 13.

a Joan. 18, 4. 5. 19, 11. 3, 14. 17. 12, 32. Matth. 27, 26. Marc. 15, 15. Lucae 23, 24. 25. Joan. 19, 16. Act. 13, 28. 29.

b Sap. 2, 12. sq. Hebr. 12, 2. 3. Philip. 2, 8. Rom. 5, 6—10. Matth. 27, 59. 60. Tit. 2, 14. Gal. 1, 4. Esa. 53, 12.

c 1. Pet. 1, 18. 1. Joan. 1, 7.

Digitized by Google

consolationem, sanitatem, virtutem et vitam continue exhibent; si tamen paremus et [d] compatimur capiti, ut ita simul et conglorificemur. [e] *Consummatus enim factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.*

Apoc. 1, 5.
Ephes. 1, 7.

d Rom. 8, 16. 17.
2. Cor. 1, 5.
2. Tim. 2, 10.
e Hebr. 5, 9.

XII.

Quis usus et fructus in eo est, quod crucem Christi digitis efformamus, et ea frontem consignamus?

Hunc sane ritum et [a] veterum pietas, et constans Ecclesiae consuetudo nobis commendat. Ac primum hinc excitamur ad gratam memoriam summi mysterii atque beneficii, quod nobis in cruce peractum, ac amplissime donatum fuit.

Deinde provocamur ad veram sanctamque gloriam, et totius salutis nostrae ancoram in cruce Domini nostri defigendam.

Est hoc praeterea testimonium, nos cum inimicis crucis Christi Judaeis ac Ethnicis nihil habere commune, sed contra hos omnes libere profiteri, quem colimus, Dominum Jesum, et hunc crucifixum.

Hoc etiam signaculo ad patientiae studium incitamur, ut si aeternae gloriae cupidi sumus (esse vero debemus omnes) crucem quam colimus, et viam crucis, [b] duce Christo non gravatim amplectamur.

a Tertul. de coron. militis. cap. 3.
Basilius de Spiritu sancto cap. 17.
Aug. de chatechizand. rud. cap. 20. et tract. in Joan. 118.
Nazian. orat. 3.
Hieron. ad Eusto. de cust. virg. et ad Fabiol. de vest. sacer. et in cap. 9. Ezech.
Chrysostomus in 1. Cor. hom. 12. et 51. in Matth.
Trip. hist. lib. 6. c. 1.
Effraem. lib. de vera poenit. c. 3.
Orig. hom. 8. in divers. evang.
Ruff. lib. 2. eccles. hist. cap. 29.
Niceph. lib. 18. cap. 20.
Cyrill. Catech. 4. et 13. Illum.
Chrys. in demonst. adversus Gentiles, quod Christus sit Deus.
b Matth. 16, 24.
Luc. 9, 23.
1. Pet. 3, 14. 17. 18. 2, 19—21.

Digitized by Google

Neque minus arma hinc victricia petimus [c] adversus Satanam olim crucis virtute prostratum, immo et contra omnes nostrae salutis adversarios ita communimur.

Demum, ut auspicatius [d] ordiamur, et majorem in rebus gerendis successum experiamur, hoc crucis illustrae trophaeum arripimus, et in hoc signo [e] victuri, saepe dicere non dubitamus: *In nomine † Patris et † Filii et † Spiritus sancti.*

c Athan. in vita B. Antonii.
Hieron. in vita B. Hilarionis.
Ignatius ad Philipp.

d Amb. serm. 43.

e Euseb. lib. 1. et 2. de vita Constantini.
Niceph. lib. 8. c. 3. et lib. 7. cap. 47. et 49.

XIII.

Quid credendum profert quintus articulus: Descendit ad inferos, et resurrexit?

Christum docet, postquam mortuus esset in cruce, secundum animam quidem ad inferos usque penetrasse, tum ut mortis ac Satanae devictorem, tum ut Patrum in limbo sedentium liberatorem sese declararet: secundum corpus autem, quo jacuerat in sepulchro, tertio post die, cum Triumphator ex inferis redire vellet, eundem ad vitam sua vi immortalem ac gloriosum, primogenitum ex mortuis resurrexisse.

Quo admirabili opere consolatur ac docet, electos de potestate Satanae, mortis et inferni liberari, eamque resurgendi gratiam omnibus offert atque commendat, ut vere credentes in Christum, de vitiis [a] ad virtutem, a morte peccati ad vitam gratiae,

Psalm. 15, 9. 10.
Zach. 9, 11.
1. Pet. 3, 18.
Coloss. 2, 14.
Eccli. 24, 8.
Act. 2, 24. sq.
Oseae 13, 14.
Iren. lib. 5. in fine.
Aug. epist. 99. et 57. et lib. 20. de civ. Dei, cap. 15.
Item serm. 137. de tempore.
Hieron. in cap. 4. ad Ephesios et in Oseae 13, 14.
Matth. 12, 29.
Hebr. 2, 14. 15.
Marc. 16, 6. 9.
Joan. 2, 19.
Col. 1, 18.
1. Cor. 15, 3. sq.
Apoc. 1, 18.
a Rom. 6, 4. sq.
Coloss. 3, 1. sq.
Philip. 3, 20. 21.
Ephes. 4, 22. sq.
1. Pet. 1, 3.

Digitized by Google

in fine [b] porro seculorum omnium de morte corporis ad vitam immortalem resurgant. *Nam qui* [c] *suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit.*

b 1. Cor. 15, 22.

c 2. Cor. 4, 14. 1. Thess. 4, 14. sq.

XIV.

Quid adfert sextus articulus: Ascendit ad coelos?

Absoluto humanae redemptionis opere, Dominum Jesum ostendit, postquam redivivus ille suis apparuisset, multisque argumentis resurrectionis suae veritatem confirmasset, demum quadragesimo die in coelum ascendisse, ut secundum naturam humanam super omnia exaltaretur, et unus omnium maxime ab omnibus celebraretur. [a] Sedet igitur Dominus Jesus in coelis, ad dexteram virtutis Dei, parem cum Patre potestatem exercens, gubernans omnia, divinaque majestate resplendens penitus: quod [b] est nimirum ad Patris sedere dexteram.

Psal. 67, 33. sq. 46, 6. 8, 1. Marc. 16, 19. Joan. 3, 13. Act. 1, 1. Ephes. 4, 8. 2, 5. 1, 20—23. Coloss. 3, 1. Hebr. 1, 3—5. 1. Pet. 2, 4. 1. Joan. 2, 1. Joan. 20, 17.

a Psal. 109, 1. Act. 7, 55. Lucae 22, 69. 1. Cor. 15, 25. Ephes. 1, 20. Matth. 28, 18.

b Aug. lib. de fide et symb. cap. 7.

Haec laeta Christi ascensio, nostrae Fidei ac Spei certitudo est, ut quo caput praecessit, prostratis semel hostibus, eodem membra etiam, si capiti [c] modo pareant et inhaereant suo, perventura esse maxime confidamus. *Vado*, inquit, *parare vobis locum.*

c Rom. 8, 16. 17. Heb. 5, 8. 9. 2. Tim. 2, 11. 12. Joan. 15, 6. Joan. 14, 2.

XV.

Quid credendum exhibet septimus articulus: Inde venturus est judicare?

Proponit extremum judicii diem, quando Christus in humana carne rursus a summo coelo descendet, ac tre-

Psalm. 96, 2. sq. Esai. 3, 14. 66, 15. Joan. 5, 22. sq. Soph. 1, 14—18.

Digitized by Google

Malac. 4, 1—6.
Ioel. 3, 6. 7. 19.

mendum aget judicem totius orbis, et palam unicuique reddet secundum opera sua. Judicabit [a] igitur in sede majestatis suae ad unum omnes probos ac improbos, sine quos judicii dies illa vivos adhuc in carne, vel antea mortuos offendet.

a Matth. 25, 31--34. sq. 24, 11. sq.
Luc. 21, 25. sq.
Actor. 10, 42.
1. Thess. 4, 15--18. 5, 2—4.
1. Cor. 15, 51.
2. Thess. 2, 2. sq.
2. Pet. 3, 3—13.

Unde admonemur, eo cautius rectiusque nobis vivendum esse, quo certius persuasum habemus, nostras actiones, [b] cogitationes, et vitae rationes omnes ob oculos cuncta cernentis, et aequissime judicantis, Dei usque versari. Et enim aequus et justus est scrutator [c] ille cordium, et vindex iniquitatum, ante cujus tribunal manifestari nos omnes oportet: ut unusquisque prout gessit suo in corpore, sive bonum, sive malum, ab illo recipiat. Qui nec boni [d] quidquam in hac vita gestum suo praemio defraudabit, nec perperam facta ulla impune sinet abire.

b Matth. 12, 36.
Sap. 1, 8.
Esai. 66, 18.
Eccli. 12, 14.
Rom. 2, 4.
Apoc. 20, 11—15.
Basil. epist. ad virginem lapsam.
c Hier. 17, 9. 10.
Heb. 4, 12. 13.
Galat. 6, 7—9.
1. Thess. 4, 16.
Eccli. 12, 14.
2. Cor. 5, 10.
Rom. 14, 10.
d Matth. 10, 41.
Job. 24, 12.

XVI.

Quae summa est articulorum de secunda in Deitate persona?

Joan. 1, 1. 14.
1. Joan. 5, 20.
Ephes. 1, 6. 7.

Haec summa est, Christum verum Deum et hominem esse, qui mirificum redemptionis humanae opus sit aggressus atque perfecerit, ut idem sit ipse nobis [a] Via, Veritas et Vita, per quem unum, cum periissemus omnes, salvati et liberati, Deoque Patri reconciliati sumus.

a Joan. 14, 6.
Rom. 5, 6.
Apoc. 1, 5.
1. Tim. 2, 5.
Rom. 3, 24. 25.

De cujus quidem redemptionis beneficio ac vero usu ita scriptum est: [b]

b Tit. 2, 11—15.

Digitized by Google

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Sic Apostolus Paulus. Et[c] alibi: *Ipsius* (Dei) *summus factura, creati in* Christo Jesu *in operibus bonis, quae praeparavit* Deus, *ut in illis ambulemus.* Atque iterum, [d] *pro omnibus mortuus est* Christus, inquit, *ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

c Ephes. 2, 10.

d 2. Cor. 5, 15.

Quare cavendus illorum est error maxime, qui Christum non integre, sed veluti mutilatum confitentur, dum solum [e] Mediatorem illum et Redemptorem cui fidamus, agnoscunt: nec simul recipiunt eum et [f] Legislatorem, cujus jussis obtemperemus, et virtutum exemplar omnium, quod imitemur, et justum judicem, qui debitum cujusque [g] operi praemium aut supplicium certo rependat.

e 1. Tim. 2, 5. 6. Rom. 3, 24. 25.

f Esaiae 33, 22. Jacobi 4, 12. Joan. 13, 15. 34. 1. Joan. 2, 6. 1. Pet. 2, 19—24.

g 2. Tim. 4, 7. Rom. 2, 5.

XVII.

Quid docet octavus articulus: Credo in Spiritum sanctum?

Symb. Constantinop. et Concil. Florentin.

Subjungit tertiam in Deitate personam, Spiritum sanctum: qui ex Pa-

1. Genes. 1, 2. Psalm. 103, 30. Job 24, 13.

Digitized by Google

Matth. 28, 19.
Joan. 1, 32. 14, 16. 16, 7.
1. Joan. 5, 7.
Rom. 8, 9—11.
1. Cor. 6, 19. 3, 16.
2. Cor. 3, 17.
Psalm. 50, 12.
Esai. 11, 1. 2.
Galat. 5, 22.
Rom. 5, 5.

tre Filioque procedens, verus utrique coaeternus, coaequalis, consubstantialis Deus existit, et eadem fide parique cultu et honore colendus est.

Hic ille Paracletus et Doctor veritatis, qui corda credentium gratia sua suisque donis illustrat, purificat, sanctificat et in omni sanctitate confirmat. Hic est [a] pignus haereditatis nostrae, qui adjuvat infirmitatem nostram, et singulis, prout vult, varias donationes suas distribuit impertitque.

a Ephes. 1, 13. 14.
Rom. 8, 26.
1. Cor. 12, 4—11.

XVIII.

Quid addit articulus nonus: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam?

Ostendit ecclesiam, id est, cunctorum Christi fidelium [a] visibilem congregationem, pro qua Dei filius hominis natura suscepta, cuncta et fecit et pertulit: Eamque docet primum [b] unam esse et consentientem in fide fideique doctrina, et administrationi Sacramentorum, quaeque sub uno capite suo Christo, unoque vices ejus in terris gerente [c] Pontifice maximo regitur, ac in unitate conservatur.

Deinde hanc sanctam [d] esse praedicat, quia per Spiritum sanctum a Christo usque sanctificatur, ut sancti homines et sanctae leges nunquam in illa desint. Nec ullus extra hujus consortium, sanctitatis particeps esse potest.

a Matth. 5, 4--16.
Esa. 2, 2. et 60, 1.
Psalm. 18, 5.
Aug. tract. 1. in ep. Joan. et de unitat. Eccl. cap. 14. et in Psal. 30. conc. 2.
Chrys. hom. 4. de verbis Esaiae.
b Joan. 11, 51. 10, 16. 17, 11.
Cant. 6, 8.
1. Cor. 1, 9. 12, 12—14.
Ephes. 4, 3.
Cyp. de simp. prabl.
Iren. lib. 1. cap. 5.
Hieron. ad Ageruch. epist. 12.
Chrys. hom. 1. in 1. Corinth.
c Cyp. de simp. et lib. 1. ep. 3. et lib. 4. ep. 9.
Iren. lib. 3. cap. 3.
Hieron. ad Damasum. ep. 57. et 58.
Leo ep. 89. ad Vienn.
d Ephes. 5, 25--27.
Cantic. 4, 1.
1. Pet. 2, 9.

Digitized by Google

Tertio esse [e] Catholicam, id est, universalem, adeo, ut per orbem longe lateque diffusa, omnes omnium temporum, locorum ac nationum homines, qui modo in Christi fide ac doctrina conveniunt, uno quasi materno sinu excipiat, concludat ac salvet.

Quarto esse in eadem Ecclesia Sanctorum communionem, ut qui [f] in Ecclesia veluti domo Dei familiaque versantur, societatem quandam inter se et unionem servent individuam; et sicuti unius corporis membra, mutuis officiis, meritis et orationibus se invicem juvent. Apud hos est unitas fidei, doctrina consentiens, conformis usus Sacramentorum: qui etiam, [g] qualescunque demum quorundam errores aut dissensiones incidant, soliciti * sunt servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. In qua quidem communione non modo sancti Ecclesiae militantis in terra peregrinantes, verum etiam beati omnes Ecclesiae cum Christo in [h] coelis felicissime triumphantis, ac insuper piorum animae, quae ex hac vita egressae, nondum [i] tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutae, simul comprehenduntur.

Extra hanc Sanctorum communionem (sicut extra [k] Noë arcam) certum quidem exitium, nulla vero salus mortalibus: non Judaeis aut Ethnicis, qui fidem Ecclesiae nunquam receperunt: non Haereticis, qui receptam deseruc-

Aug. in ench. c. 56. et in Psalm. 85. Bern. serm. 3. in vigilia nat. Greg. L. 35. mor. cap. 6. Iren. lib. 3. cap. 40.
e Gen. 22, 17.
Act. 1, 8.
Marc. 16, 15.
Luc. 24, 46.
Matth. 28, 19. 16, 18.
Aug. episti 166. et 170. cont. ep. fund. cap. 4. lib. de vera relig. cap. 7.
Vincentius Lirin. Hier. cont. Lucif. Beda in 6. c. Cant.
f Ephes. 4, 11.
Psalm. 118, 63.
Coloss. 1, 12.
Philipp. 1, 3.
2. Cor. 8, 13. 14.
1. Joan. 1, 3.
Rom. 12, 4—7.
1. Cor. 12, 12. sq.
Aug. tract. 32. in Joan.
g Euseb. eccl. hist. lib. 7. cap. 19.
Aug. 2. con. Don. cap. 6. et epist. 19.
Item de vera relig. cap. 6.
* Ephes. 4, 3.
h Aug. de tempore serm. 181. cap. 13. in Enchir. cap. 56.
i Aug. lib. 20. de civit. Dei. cap. 9.
Greg. lib. 4. Dialog. cap. 39.
k Genes. 7, 23.
1. Pet. 3, 20.
Isaiae 60, 12.
Aug. epist. 56. et 152.
Item de unit. eccl. cap. 4. et 16.

Digitized by Google

runt vel corruperunt: non Schismaticis, qui pacem et unitatem Ecclesiae reliquerunt: postremo neque [l] Excommunicatis, qui qualibet alia gravi de causa id meruerunt, ut ab Ecclesiae corpore, ceu perniciosa quaedam membra, praescinderentur ac separarentur. Atque istiusmodi omnes, quoniam ad Ecclesiam, ejusque sanctam communionem non pertinent, [m] divinae gratiae et salutis aeternae non possunt esse participes, nisi Ecclesiae, a qua suo illi vitio sunt semel avulsi, primum reconcilientur atque restituantur. Certa est enim [n] Cypriani et [o] Augustini regula: Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.

Aug. vel Fulgent. de fide ad Petrum. c. 37. 38. et 39.
Iren. lib. 4. c. 43.
Greg. 14. moral. c. 2.
Chrys. hom. 11. in Epist. ad Eph. Con. Lateran. can. 1.
1. Joan. 2, 18.
Joa. 6, 66. 67. 13, 33.
Jud. 19.
l 1. Cor. 5, 1—8.
1. Tim. 1, 19. 20.
Num. 12, 14. 15.
Matth. 18, 15—18.
2. Joan. 10, 11.
2. Thess. 3, 6. 13.
Cypr. lib. 1. ep. 11.
Aug. lib. 1. cont. advers. leg. et proph. cap. 17.
m Aug. serm. 181. de temp. cap. 12. et in Psalm. 88. con. 2. Item epist. 204.
Cyp. lib. 1. epist. 1. et lib. 4. epist. 2.
n De simplic. praelatorum.
o Lib. 4. de Symb. ad catec. cap. 10.

XIX.

Quid proponit articulus decimus?

Remissionem peccatorum, qua sine justus et salvus esse nullus potest. Hunc autem vere divitem thesaurum Christus [a] nobis acerba morte, suoque pretioso sanguine comparavit, totus ut mundus peccatis eorumque poenis perpetuis liberaretur.

Cujus quidem thesauri per Christi gratiam participes dumtaxat fiunt ii [b], qui se Fide et Baptismo ad Christi adjungunt Ecclesiam, et in ejus unitate obedientiaque persistunt. Deinde qui de commissis post Baptismum pecca-

a Esai. 33, 22.
Matth. 1, 21. et 9, 2. sq.
Apoc. 1, 5.
Lucae 24, 46.
Act. 10, 42. 43.
Heb. 9, 11—14. sq.
1. Joan. 1, 7.
Ephes. 1, 7.
Coloss. 1, 13.
Heb. 1, 3.
b Act. 2, 37. 38. 8, 12. 36.
Marc. 16, 16.
Joan. 3, 5.
Aug. in enchir. cap. 65. et de verbis Dom. serm. 11.

Digitized by Google

tis [c] poenitentiam serio agunt, et iis adversus peccata pharmacis, quae Christus instituit, hoc est, Sacramentis, convenienter utuntur.

Atque huc spectat potestas, ut vocant, [d] Clavium, quam Christus ad remittenda peccata ministris Ecclesiae, et inprimis Apostolo [e] Petro ejusque successoribus legitimis, utpote summis Ecclesiae rectoribus, commendavit.

c 2. Cor. 12, 20. Act. 8, 22. Joan. 20, 22. 23. Apoc. 2, 4. 5.
d Hieron. epist. 1. ad Heliod. Aug. hom. 49. et 50. Chrys. lib. 3. de sacer. Cyp. lib. 1. epist. 1. Lucae 10, 35. Matth. 18, 18. Joan. 20, 23.
e Matth. 16, 19. Joan. 21, 15—17. Hilar. can. 16. in Matth. Ber. lib. 2. de consid. Conc. Florent.

XX.

Quid habet undecimus articulus?

Carnis resurrectionem, quae in novissimo die bonis malisque continget. Nam corpus hoc quod fragile, caducum, multisque morbis et perpetuis aerumnis obnoxium, et post mortem quoque vermibus exedendum circumferimus, tum reviviscet, cum in extremo illo die mortui omnes, Christo vocante judice, simul ad vitam et judicium excitabuntur. Igitur ante Christi [a] tribunal in carne cuncti apparebunt, ut citra exceptionem unusquisque, prout gessit in corpore suo, quod illi reddetur integrum, sive bonum, sive malum recipiat.

[b] *Procedent autem, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii, et* [c] *in supplicium aeternum.*

Hac fide vir bonus et patiens in aerumnis se vel maximis consolatur, ut in supremo etiam vitae agone dicat,

Esai. 26, 19. Iob. 19, 25. Ezech. 37, 1—10. 1. Cor. 15, 51. 1. Thess. 4, 16. Joan. 11, 24. 5, 25. Matth. 22, 23—32. Dan. 12, 2. Philipp. 3, 20. 21. Hieron. ad Minerium et Alex. Item ad Pama. adver. err. Joan. Hierosol. Greg. lib. 14. mo. cap. 30. et seq. Aug. in enchir. cap. 48. et seq. Item de civit. Dei lib. 22. cap. 12. et seq.
a 2. Cor. 5, 10. Rom. 14, 10.
b Joan. 5, 25. Matth. 13, 30—42.
c Matth. 25, 46. 13, 42. 43. Athan. in symb.

Digitized by Google

d Iob. 19, 25.

Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. Prudentes illi sane, qui terrena haec et moribunda membra, in justitiae ac virtutis servitutem redigunt; quique corpus hoc, veluti vas purum, beatae praeparant immortalitati.

e Coloss. 3, 5. sq.
1. Pet. 3, 18.
1. Cor. 9, 27.
Rom. 6, 12. 13. 19.
1. Cor. 15, 42—44.

XXI.

Quis est postremus articulus?

De vita aeterna, quam electis post mortem superesse minime dubitemus. Atque hic fructus et finis est fidei, spei, patientiae et exercitationis Christianae. Cujus vitae consequendae causa nullum pietatis opus arduum, nullus labor gravis, nullus dolor acerbus, nullum in agendo patiendoque tempus diuturnum ac molestum vere credenti debet existimari. Quodsi vita hac, quae calamitatis alioquin plena est, nihil dulcius ac optabilius ducitur; quanto illa demum potior habenda est, [a] quae ab omni malorum sensu et metu procul abest, quae coelestibus et ineffabilibus sine fine gaudiis, deliciis ac voluptatibus omni ex parte semper abundat?

1. Cor. 2, 9.
Joan. 17, 3.
Matth. 19, 12—29. 25, 34—46.
Apoc. 2, 7. 10. 17. 26. 27. 3, 11. 12. 21. 7, 14. 17. 21, tot. 22, 1—6. sq. 20.
Rom. 2, 6. 7.
Tit. 1, 1. 2, 13. sq. 3, 7.
2. Tim. 4, 7. 8.
1. Joan. 2, 25. 3, 2. 3.
1. Pet. 1, 3. 4.
Rom. 6, 22.

a Aug. de civit. Dei lib. 22. cap. 29. et 30. et lib. 3. de lib. arb. cap. ult.
Item. serm. 64. de verbis Dom. et lib. 3. de symb. ad Catec. cap. 11.

De qua vita Christus, [b] *Nolite timere pusillus grex*, inquit, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Qui et in extremo judicii dicet electis: [c] *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Impiis vero in hunc modum

b Lucae 12, 32.

c Matth. 25, 34.

loquetur: d *Discedite, a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus.* Id quod non solum ad Ethnicos, Haereticos, Schismaticos et palam flagitiosos pertinet; verum etiam ad Christianos, quos in mortali peccato mors opprimit, est referendum.

Adjicitur demum clausula isthaec e *Amen*, ut fidei et confessionis hujus Christianae testimonium apud nos indubitatum esse ac solidum demonstretur.

d Ibid. v. 41.

e Aug. vel Fulgentius in lib. de fide ad Petrum diaconum cap. 38 et 40.

f Ezech. 18, 4. 33, 8. Rom. 6, 23. Sap. 1, 11—12. 1. Cor. 6, 9. 10.

g Hieron. ad Marcellum, epist. 137.

XXII.

Estne satis Christiano, ea sola credere, quae complectitur Symbolum?

Primum et maxime quidem ea, quae Symbolo traduntur Apostolico, cuivis credenda, et aperte a profitenda sunt. Ea vero explicatiora fiunt ex collatione tum Symboli patrum, tum ejus, quod Athanasio inscribitur.

Heb. 5, 12. 6, 1. 2. 1. Pet. 3, 15.

a Amb. lib. 3. de virgin. Aug. lib. 1. de Symb. ad Catech. cap. 1. et lib. 2. cap. 1.

Secundo Christianus, quaecunque Scriptura b divina seu Canonica complectitur, credat necesse est. Certos vero et c legitimos scripturae libros non aliunde, quam ex Ecclesiae judicio et auctoritate petere fas est.

b 2. Pet. 1, 19—21. Rom. 15, 4. 5. 2. Tim. 3, 14—17.

c Toletan. 1. can. 21. Aug. serm. 120. et 191. de temp. Hieron. in Symb. ad Damasum. August. contra epist. fundamenti, cap. 5. Trident. sess. 4.

Tertio huc illa pertinent, quae partim ex Symboli articulis, partim ex Scripturis, velut divinis fontibus, necessario d deducuntur.

d Matth. 22, 29—32.

Quarto demum pro sacrosanctis habenda firmissimaque fide complectenda sunt, quae Spiritus sanctus credenda

Digitized by Google

nobis revelat, pronuntiatque per[e] Ecclesiam, sive scripto illa, sive vivae vocis traditione nobis commendentur. Qua de re postea commodius disseretur.

Circa haec igitur omnia fides orthodoxa versatur, qua [f] sine Sectarii omnes frustra sibi, ac aliis gratiam et salutem in Christo pollicentur.

e Cyrill. ep. 10. ad Nestor. Conc. Nic. et Const. Iren. lib. 3. cap. 4. et lib. 4. cap. 45 et 63. Hier. contra Lucif. Vincen. Lirinen. con. novatores.

f Leo serm. 4. de Nativit. Dom.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

I.

Quid est Spes?

Virtus est divinitus infusa, per quam certa cum fiducia, nostrae salutis et aeternae vitae bona a Deo expectantur.

Parum est alioquin Deo Deique verbo fidem habere, ac divina, quae in Ecclesia praedicantur, dogmata profiteri, nisi Christianus Dei bonitate percepta, spem inde concipiat ac fiduciam consequendae gratiae et salutis aeternae. Quae spes tantopere justum fulcit in summis [a] aerumnis, ut etiam si mundi praesidiis omnibus destituatur, intrepidetamen dicat: [b] *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Et, [c] *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.* [d] *Deus meus in te confido, non erubescam.*

Aug. in Ench. c. 8.
1. Cor. 13, 13.
Rom. 5, 2—5. sq. 8, 24.
Tit. 2, 11—13. 3, 7.
1. Pet. 1, 3. sq.
1. Joan. 5, 14.
Jac. 1, 3. sq.
Joan. 14, 13. 15, 7. 16, 23. 24.
Marc. 11, 24. Ps. 26, 13. 14. 129, 5. sq. 72, 28. 61, 6—9. sq.
1. Tim. 4, 10.
1. Thess. 5, 8.
Ephes. 6, 16. sq.
Hebr. 6, 16. 10, 35.
a Eccli. 24, 15. 16.
Rom. 8, 35. sq.
Psalm. 30, 25.
Prov. 28, 1.
b Job. 13, 6—13.
c Psalm. 55, 1—6.
d Psalm. 24, 1—6.

II.

Qua ratione hanc Spem licet consequi?

Primum huc pertinet ardens et frequens ad [a] Deum precatio; deinde nutrienda Spes est et excitanda quoti-

a 1. Thess. 5, 17.
Luc. 11, 9. 18, 1.
Matth. 7, 7.
Eccli. 18, 22.

Digitized by Google

diana meditatione bonitatis ac beneficiorum [b] Dei, illorum praesertim, quae Christus Dominus pro immensa in nos charitate sua praestitit ac promisit vel immerentibus. Demum conscientiae [c] puritas conjungenda venit, eaque piis operibus et invicta in adversis patientia semper est comprobanda. [d] Nam quibus bonae conscientiae testimonium, aut melioris vitae propositum deest, hi spem, quam oportet, non adferunt, sed [e] praesumptionem potius, et vanam omnino fiduciam temere jactant, quantumvis de Christi meritis Deique gratia glorientur.

Spera, inquit [f] Propheta, *in Domino, et fac bonitatem.* Idemque rursus: *Subditus esto Domino, et ora eum.* Et alius: [g] *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum.* Quam spem ab omni timore [h] disjungendam non esse, satis illud ostendit: [i] *Beneplacitum est Domino super timentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus.*

b Ephes. 2, 4—10. Tit. 3, 4. sq. Rom. 8, 28. 29. Joan. 3, 16. sq. 1. Joan. 4, 9. Heb. 10, 22—24. Tit. 1, 2.
Rom. 5, 8. 21. 8, 18.
c Prov. 15, 15. 1. Joan. 3, 21. 22. Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 7. et 40. et lib. 3. cap. 10. et in Praefat. Psal. 31.
d 2. Cor. 3, 6. 7. Hebr. 3, 6. 10, 34-36. 1. Joan. 3, 2. Coloss. 1, 22. 2. Pet. 1, 10.
e 2. Pet. 2, 17. sq. 20. Eccl. 5, 4—7. Greg. 33. moral. cap. 15.
f Psalm. 36, 1—10.
g Thren. 3, 18—26.
h Greg. lib. 6. epist. 22. ad Greg. Bern. de festo Magdalenae.
i Psal. 146, 7—11.

III.

Quae bona sub Spem cadunt, et Christiano speranda sunt?

Praecipue quidem [a] bona illa regni coelestis, quae homines beant, nec sinunt ulla ex parte miseros esse. Tum illa, quaecunque mortalibus in hac vita [b] conducibilia recte a Deo desiderantur atque petuntur, in bonis sperandis et expectandis debent haberi. Ea vero

a Tit. 2, 13. 3, 7.
b Heb. 4, 16. Aug. in Ench. cap. 114.

Digitized by Google

praecipue relucent in Dominica oratione, utpote quam Christus Dominus [c] ore sacro prodidit, et admirabili sapientia praescripsit omnibus, qui spem suam ac vota oratione cupiunt Deo explicare.

c Matth. 6, 9. sq. Lucae 11, 1—4.

IV.

Quae forma est Dominicae Orationis?

Haec est: *Pater noster qui es in coelis,*

1. *Sanctificetur nomen tuum,*
2. *Adveniat regnum tuum,*
3. *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra,*
4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,*
5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,*
6. *Et ne nos inducas in tentationem,*
7. *Sed libera nos a malo, Amen.*

Orationem Dominicam explicat Tertul. lib. de oratione Cypr. serm. 6. de orat. Dom. Cyrill. Catech. 5. mystagog. Chrys. hom. de orat. Dom. et in cap. 6. Matth. Hieron. Theop. Euthym. in Matth. Ambr. lib. 5. de sacramentis cap. 4. Aug. epist. 121. ad Probam, cap. 11. Idem libr. 2. de ser. Dom. in mont. et hom. 42. ex 50. et serm. de temp. 126. 135. et 182. Chrysol. serm. 67. et sequentibus. Innoc. 3. lib. 5. de myster. Missae. c. 17. et sequen.

V.

Quae summatim in Dominica oratione tractantur?

Septem in [a] ea petitiones proponuntur, ad quas referri omnes [b] omnium orationum species et formae possunt ac debent, sive pro expetendis bonis, sive pro defendis peccatis, sive pro avertendis malis quibuslibet divinam opem implorémus. In prioribus autem tribus petitionibus, quae proprie ad aeterna pertinent, ordine poscuntur: in reliquis quatuor etiam temporaria, quae et ipsa propter ae-

a Aug. in Ench. c. 115. et lib. 2. de ser. Dom. in monte, cap. 17.
b Aug. epist. 121. ad Probam. cap. 12.

Digitized by Google

terna consequenda sunt nobis necessaria.

VI.

Quid sibi vult initium orationis: Pater noster qui es in coelis?

Exod. 15, 1.
Esai. 42, 58. 63, 15. 16.
Malach. 1, 6.
2. Cor. 1, 3.
Philipp. 4, 19.
Apoc. 4, 10. 11.
Rom. 8, 15. 16.
Galat. 4, 7.
1. Pet. 3, 22.
Leo serm. 6. de Nativit. Dom.

Praefatiuncula est, et nos memores reddit summi beneficii, quo Deus Pater, aeterna illa majestas, in coelis perbeate regnans, nos recepit in gratiam, et propter Christum filium in suos quoque filios et regni coelestis haeredes per Spiritum sanctum adoptavit.

a Cypr. in serm. de orat. Dom.

Quae tantorum beneficiorum memoria non solum [a] attentionem excitat, sed etiam ad redamandum Patrem, illique obtemperandum provocat filios, neque minus orandi impetrandique illis [b] auget fiduciam.

b Luc. 11, 11. 13.
Jac. 1, 6.

VII.

Quis est sensus primae petitionis: Sanctificetur nomen tuum?

Matth. 5, 16.
1. Pet. 2, 11. 12. 4, 11.
1. Cor. 10, 31.
Coloss. 3, 17.
Rom. 15, 6.
Eccl. 36, 2. 5. sq.

In nobis, quaemadmodum in omnibus aliis, promoveri semper et augeri petimus, quidquid ad gloriam summi optimique Patris nostri spectat.

Id vero fit maxime, cum verae fidei confessio, Spes etiam et Charitas, ac simul Christianae vitae sancta [a] conversatio suam in nobis lucem ac vim exerit, ut spectantes [b] alii quoque glorificent Patrem.

a Lucae 1, 71—74.
1. Pet. 1, 15. 16. 3, 16.
Philipp. 2, 15.
b Matth. 5, 16.

Digitized by Google

VIII.

Quid continet secunda petitio: Adveniat regnum tuum?

Petimus, ut per gratiam et justitiam suam regnet in Ecclesia Deus, immo et in mundo universo, ejectis hinc adversariis potestatibus, et cupiditatibus malis omnibus e medio profligatis.

Tum optamus et precamur, ut ex hoc mundo, veluti e gravi [a] peregrinatione militiaque vocati, quam primum transferamur ad regnum gloriae et felicitatis aeternae, ut cum Christo et Sanctis ejus in sempiternum regnemus.

Matth. 6, 33. Rom. 14, 17. 18. Psal. 22, 1. 79, 2. Luc. 1, 33. 17. 20. 21. 1. Cor. 3, 16. sq. 4, 20. Ephes. 1, 18—20. sq. Matth. 13, 41. 1. Cor. 15, 24. 25. sq. Coloss. 1, 12—15. sq. Psalm. 67, 2. 3.

a Philipp. 1, 23. Hebr. 11, 13. 14. 1. Pet. 2, 11. 12. Job. 7, 1. 2. Cor. 5, 6—8. Sap. 5, 16. sq. Apoc. 12, 4. 5. Matth. 8, 11. 12.

IX.

Quid includit tertia petitio: Fiat voluntas tua?

Rogamus, ut sicut in coelo Angeli et Beati omnes, nos quoque in terris, quamvis imbecilles et exigui, exactam Deo praestemus obedientiam, nihil habentes prius, quam ut divinae voluntati tum in prosperis, tum in adversis libenter nos subjiciamus, et nostra [a], quae ad malum prona est, voluntate rejecta, in [b] divina semper acquiescamus.

Psalm. 102, 20. 21. Rom. 1, 10. Act. 9, 6. 21, 14. Deut. 12, 8. Heb. 13, 21. Jac. 4, 13. sq. Lucae 22, 42. 1. Pet. 4, 1. 2. 3. Act. 5, 29. Job. 1, 21. 1. Pet. 5, 6.

a Gen. 8, 21. Matth. 26, 41. Bern. serm. 3. de resurrect.

b Joan. 4, 34. 5, 30. 6, 42. 44. 1. Reg. 3, 18.

X.

Quid habet quarta petitio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

Ab omnis boni auctore ac fonte nos, veluti pauperes et mendici, ea desideramus, quae ad hanc vitam corporis quotidie sustentandam sunt satis,

Jac. 1, 5. 17. Psalm. 39, 18. Deut. 10, 17. 18. Genes. 28, 20. 1. Tim. 6, 8.

Digitized by Google

Prov. 30, 8.
Psalm. 144, 15.
a Matth. 4, 4.
Amos 8, 11. 12.
Eccli. 15, 3.
Prov. 9, 5.
b Matth. 26, 26. 6, 11.
Joan. 6, 51.
Hier. in 6. cap. Matth.
Cypr. in ser. de orat. Dom.
Amb. lib. 5. de sacram. cap. 4.
Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte, cap. 12.

victum scilicet et vestitum: praeterea quae ad vitam animae promovendam faciunt, nimirum [a] verbum Dei, animae spirituale pabulum, sacrosanctam [b] Eucharistiam, panem illum coelestem, caeteraque salutifera Ecclesiae Sacramenta, ac Dei dona, quae ad bene beateque vivendum pascunt, curant, confirmant hominem interiorem.

XI.

Quo pacto intelligitur quinta petitio: Dimitte nobis debita nostra?

Hic petimus, a labe peccati, quo nihil foedius, nihil animae pestilentius esse potest, clementer expurgari, et ea ipsa, quae peccando contraximus, debita relaxari.

Ne vero frustranea sit precatio, animo in proximum perperam affecto, illud addimus, nos vindictae [a] cupiditate ac simultate posita, cum proximis in gratiam rediisse, et cuivis ex animo noxam condonasse. Hoc est enim, quod Christus alibi voluit, cum diceret: [b] *Dimittite, et dimittemini.* Et iterum: [c] *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Thren. 4, 8.
1. Cor. 10, 6—11.
Levit. 26, 14. sq.
Num. 5, 6. sq.
Exod. 32, 27—34.
Lucae 7, 47.
Tob. 12, 10.
Sapien. 16, 14.
Psalm. 50, 3.
a Rom. 12, 17—19.
Coloss. 3, 8. sq. 12. sq.
Lucae 23, 34.
Act. 7, 59.
Marc. 11, 25. 26.
Ephes. 4, 32.
b Lucae 6, 37.
c Matth. 6, 14. 15. 18, 34. 35. 21, 22.
Eccli. 28, 1—6.
Aug. in Ench. cap. 74.

XII.

Quid continet sexta petitio: Ne nos inducas in tentationem?

Quoniam praesens haec vita perinde ac militia est super terram, dum variis tentationibus semper impugnamur, graviterque cum mundo, carne

Job. 7, 1.
Judith 8, 21—27.
Tob. 3, 21. 22. 12, 13.
Matth. 4, 1. 26, 41.
Heb. 2, 18.
2. Thess. 3, 3.

Digitized by Google

et Satana conflictamur; idcirco pie soliciti divinam opem imploramus, ne hujusmodi adversariorum impugnationibus succumbamus, atque succumbendo damnemur; sed ut in hac perpetua pugna durantes, Deique dextera nitentes, potestati Satanae resistamus fortiter, contemnamus mundum, castigemus carnem, atque ita demum velut invicti milites Christi, post victoriam coronemur. [a] *Neque enim coronabitur*, Apostolo teste, *nisi qui legitime certaverit.*

1. Joan. 2, 13-17. 5, 4. Matth. 16, 24. 1. Cor. 9, 27. 25. 10, 12. sq. Jac. 4, 4. 1, 12. sq. 1. Pet. 5, 8. 2. Pet. 2, 9. Ephes. 6, 11—13. Coloss. 3, 5. Apoc. 2, 7. 10. 11. 17. 26. 2. Timoth. 4, 7. 8.

a 2. Tim. 2, 3—5.

XIII.

Quid est in septima et postrema petitione: Libera nos a malo?

Precamur ad extremum, ut hujus seculi calamitatibus, quibus exercentur etiam pii, non sinat nos Deus perdi et everti cum impiis, sed ut benignitate sua nos liberet, quatenus saluti nostrae convenit, atque ab omni malo cum corporis, tum animae, sive in hac vita, sive in futura propitius tueatur. Nam et ipse ita promisit, [a] *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.*

3. Reg. 8, 33-35. sq. Prov. 10, 25—30. Eccli. 23, 3—6. Hier. 2, 14—17. Tob. 1, 21—25. 2, 10—18. Eccli. 27, 1—6. Apoc. 3, 10. 11. Psalm. 24, 15—22. Psalm. 30, 3—17. Psalm. 33, 5—8. 18—23.

a Psalm. 49, 15.

Demum totam precationem hac una voce * *Amen*, claudimus, ut nostram in orando simul et impetrando fiduciam comprobemus, tum propter Christi, qui non fallit, promissionem, [b] *Petite*, inquit, *et dabitur vobis:* tum propter Patris erga nos immensam clementiam et propensam in omnes

* 2. Cor. 1, 20. Ambros. in Psalm. 40. Hieron. in cap. 6. Matth.

b Matth. 7, 7. Lucae 11, 9. Joan. 16, 24.

Digitized by Google

misericordiam, ut hinc Joannes dixerit: [c] *Quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.*

c L. Joan. 5, 14.

XIV.

Quae est summa orationis Dominicae?

Formulam absolutam continet non solum orandi ac postulandi bona, verum etiam deprecandi ac fugiendi mala quaelibet.

Inter bona vero primum est illud expetendum, ut Pater coelestis ab omnibus semper et ubique glorificetur: deinde vero ut illius regni participes efficiamur: tum ut ea nobis adminicula suppetant, quibus ad regnum Dei commode pervenitur. Quale est ex parte quidem animae nostrae, voluntati divinae conformari, ex parte vero corporis, victum habere necessarium.

Quae autem secundo loco ad finem usque totius precationis adduntur, affectum exprimunt mala deprecantis, ut Dei gratia et virtute aut penitus illa removeantur, peccata nimirum bonorum omnium corruptelae, et reliquorum lernae malorum, aut eadem sic temperentur, ne sua vi saluti consequendae officere possint. Ejusmodi sunt variae in hoc mundo tentationes, et quaelibet tum praesentis, tum futurae vitae calamitates. Reliqua de Ora-

Digitized by Google

tione tractanda, in eum reservabuntur locum, qui bonorum operum genera triplicia declarabit.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

XV.

Quae salutatio dici Angelica solet?

Ea, quae sanctissimae Virgini Deique matri his verbis defertur: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae, Amen.*

Luc. 1, 26-35. 41-45. Chrys. et Jac. in Liturgiis. Aug. serm. 2. de Annun. Amb. in c. 1. Luc. Chrysol. serm. 140. et seq. Bern. hom. 3. super, Missus est. Fulgent. in serm. de laud. B. virg.

XVI.

Unde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?

Primum ex Evangelicis verbis et exemplis nata est haec salutatio, quando nos ita docent afflati divino spiritu, magnus Gabriel Archangelus, [a] et praecursoris Domini mater sancta Elisabetha.

Deinde confirmat nobis hanc salutandi formulam usus et consensus Ecclesiae perpetuus, quem sancti Patres [b] et majores in hunc usque diem religiosissime observarunt, ac observari a nobis voluerunt.

a Lucae 1, 26—35. 41—45.

b Athan. in Evangel. de sanct. Deipara et plures alii.

Digitized by Google

XVII.

Quid prodest, hujusmodi Salutatione uti?

His praeclaris verbis admonemur primum summi beneficii, quod per Mariam Deiparam aeternus Pater inchoare voluit in Christo, et humano generi redimendo clementer exhibere.

Galat. 4, 4. 5.

Tum insignis haec est commendatio sacrosanctae et admirandae Virginis, quam nobis Deus inventricem gratiae ac vitae genitricem esse decrevit.

Luc. 11, 27. 1, 30. sq.

Quare nihil mirum, si post pia vota, quae in precatione Dominica Deo commendavimus, hic acceptae per Christum gratiae memores, non modo Christi matrem, sed etiam Deum patrem in eadem Virgine Deipara laudemus, et collaetantes angelis, eandem reverenter, et saepe quidem salutemus.

XVIII.

Quis est hujus salutationis sensus?

Primis quidem verbis jure gratulamur, et gratulando praedicamus eam, quae nobis Evam secundam, eamque felicem praestitit. Etenim quod illa prior mundo intulit Vae maledictionis, haec suo salutifero partu sustulit, ipsamque maledictionem filiorum Adae, benedictione perpetua commutavit.

Andreas Hierosol. Archiepiscopus Cretensis in salut. Angelicam.
Iren. lib. 3. cap. 31. et 33.
Hier. ad Eust. de custod. virg.
Innoc. 3. serm. 2. de assumpt. Bernard. hom. 2. super, Missus est.
Aug. serm. 2. de anuntiat.

Digna quidem illa, quae *gratia plena* praedicetur, ut quae plena Deo, plena virtutibus, sola (nam Ambrosii

Amb. in 1. cap. Luc.

Digitized by Google

verbis utemur) gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore. Et quis potuit in ejus anima vel corpore locus esse vitiorum, quando sancti sanctorum est templum effecta?

Additur porro, *Dominus tecum;* quia et virtus Patris illi singulariter [a] obumbravit, et Spiritus sanctus cumulatissime supervenit, et [b] verbum caro factum ex illa, tanquam sponsus de thalamo suo, admirabiliter processit. Ad haec, *benedicta in mulieribus*, quia [*] virginitate sponsa simul et foecunditate mater existit, quam proinde summo jure [c] beatam dicunt, semperque dicent omnes generationes. Mulier tota [d] pulchra et immaculata, Virgo ante partum, in partu, et post partum, [e] semper incorrupta, ab omni [f] peccati labe libera, super coelos omnes exaltata, quae nec minus vivificando profuit, quam infelix Eva obfuit mortalibus occidendo.

Et benedictus fructus ventris tui Jesus, ut qui ex Maria radice [g] velut flos ascendens, et ipse quodammodo terrae fructum se praestitit, et aeternae salutis fructum ita membris suis, [h] sicut vitis palmitibus succum et vigorem suppeditat. Vere [i] beatus venter, qui te portavit et edidit mundo Salvatorem: vere beata ubera, quae de coelo plena, filium Dei lactaverunt.

a Lucae I, 35.
b Joan. I, 14. Psalm. 18, 6.
* Esaiae 7, 14. Ezech. 44, 2.
c Lucae I, 48.
d Cant 4, 7.
e Amb. epistol. 81. Hier. in Helvid. et in apologia. pro lib. adv. Iovin.
f Aug. de nat. et grat. cap. 36. Conc. Trident. sess. 5. Item sess. 6. can. 23.
g Esaiae II, I.
h Joan. 15, I. 2.
i Lucae II, 27. 28.

Digitized by Google

Et additur demum ab Ecclesia, *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae.* Quippe sanctorum Patrum vestigiis insistentes, non modo laudabilem et admirabilem illam Virginem, quae sicut lilium est inter spinas, salutamus, sed et eam virtute Dei auctam esse tanta credimus atque profitemur, ut possit prodesse, favere, annuere miseris mortalibus, dum hi praesertim se suaque vota illi commendant, ac divinam gratiam matris intercessione supplices expetunt.

k Vide antiquum breviarium Rom. et novum ex edicto Concilii Trident. editum.

l Effraem. de laudibus Mariae, et in orat. ad eandem. Item in lament. B. virg.

Iren. lib. 5.

Nazian. in Cyp. et in tragoed. Christus patiens.

Fulgent. in serm. de laudib. Beatae virg.

Anselmus de excellentia B. virginis. cap. 12.

Bern. serm. 2. dom. 1. post oct. Epiph. et ser. 1. et 4. de Assump.

XIX.

Patrum de Maria Virgine testimonia.

Irenaeus: Quemadmodum Eva per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum praevaricata verbum ejus, ita et Maria per angelicum sermonem suasa est obedire Deo, uti virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.

Lib. 5. cont. haereses. c. 19. n. 1.

In Liturgia.

Chrysostomus: Ut vere dignum et justum est, glorificare te Deiparam et semper beatissimam et penitus incontaminatam matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quae citra corruptionem Deum peperisti; vere Deiparam te magnificamus: *Ave gratia plena Maria, Dominus tecum, be-*

Digitized by Google

nedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui; quoniam Salvatorem animarum nostrarum peperisti.

Ambrosius: Sit nobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque beatae Mariae, de qua velut speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Lib. 2. de virginibus.

Augustinus: Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Serm. 2. de annun. Dom.

Fulgentius: Facta est Maria fenestra coeli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen. Facta est Maria scala coelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad coelos. Facta est Maria restauratio feminarum, quae per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. Serm. de laudibus Mariae.

Bernardus: Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens de ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Per te accessum habeamus ad filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis; ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Serm. 2. de advent. Lege eundem hom. 2. super, Missus est et illud Apocalyp. Signum magnum apparuit. Item in serm. de nativitate Virginis.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

DE CHARITATE ET DECALOGO.

I.

Estne satis Christiano, in Fidei ac Spei doctrina institui?

Refert summopere, illum, qui Fidem ac Spem est consecutus, Charitate quoque praeditum esse. Nam de his tribus conjunctim docet Paulus: [a] *Nunc manent*, inquit, *Fides, Spes, Charitas, tria haec: major autem horum est Charitas.*

Magna certe Fides, quae satis esse [b] queat ad montes transferendos, et patranda miracula; magna etiam Spes, salutis quaedam [c] galea et ancora, quae proposita Dei bonitate et praemii magnitudine, tum efficacem consolationem laborantibus, tum fiduciam singularem precantibus suggerit. Maxima vero charitas, [d] virtutum omnium princeps, quae modum finemque nescit, nec morientes deserit, morte ipsa fortior, qua sine fides et spes Christiano quidem inesse, sed ad bene

a 1. Cor. 13, 13.

b 1. Cor. 13, 1—3. Marc. 11, 22. 23. Matth. 7, 21. 23.

c 1. Thess. 5, 8. Ephes. 6, 16. 17. Hebr. 6, 18. 20.

d Prosper. lib. 3. de vita contempl. cap. 13. et 15. Aug. in Psal. 47. Idem tract. 5. in epist. Joan. Item in enchir. c. 117. et serm. 53. de temp.

Digitized by Google

beateque vivendum [e] sufficere minime possunt. Unde a Joanne dictum est: [f] *Qui non diligit, manet in morte:* quamvis interim credat ac speret ille, ut fatuae virgines in [g] evangelio nobis exemplo esse possunt.

e August. 15. de Trinit. cap. 18.

f 1. Joan. 3, 14.

g Matth. 25, 11. 12. Aug. serm. 23. de verb. Dom.

II.

Quid vero est Charitas?

Virtus infusa divinitus, qua sincere diligitur propter se Deus, et propter Deum proximus.

Matth. 22, 36—40. Lucae 10, 25—28. Marc. 12, 28—34. Aug. lib. 3. de doct. Christ. cap. 10.

Diligendus enim praecipue est Deus in omnibus, [a] et super omnia, et propter se solum, ut qui unus summum aeternumque bonum existit, quod solum nostros explet animos; cujus amor et [b] honor nostrae tum voluntatis, tum actionis omnis initium et scopus esse debet.

a Bern. in tract. de diligendo Deo.

b 1. Cor. 10, 31. Coloss. 3, 17.

Deinde propter [c] Deum amandus proximus, hoc est, citra discrimen [d] homo quilibet, quando inter nos omnes proximi, maximaque propinquitate conjuncti sumus, secundum eandem scilicet naturam humanam filiis Adae communem, et ob divinam gratiam aeternamque gloriam cunctis, qui velint, communicabilem.

c Aug. hom. 38. ex 50.

d Aug. in Psal. 118. concione 8. Item serm. 53. et 59. de temp.

III.

Quot sunt Charitatis praecepta?

Duo quidem summaria, quorum primum de diligendo Deo, sic [a] in veteri novaque lege proponitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

a Deut. 6, 5. Matth. 22, 37—40. Marc. 12, 30. 31. Lucae 10, 27. Gregor. lib. 10. mor. cap. 6. et 7.

Digitized by Google

tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. Hoc est primum et maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae.

b Rom. 13, 8—10.
c Coloss. 3, 12—14.
d 1. Tim. 1, 5.

Haec charitas est [b] plenitudo legis et summa justitiae, hoc est, [c] vinculum perfectionis: charitas inquam [d] de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

IV.

Quo indicio se prodit sincera charitas?

a Greg. hom. 30. in Evangel.
b 1. Joann. 5, 3.
c 1. Joann. 2, 4. 5.

Probatio [a] dilectionis seu charitatis, exhibitio est operis, et divinorum observatio mandatorum. Unde et Joannes Christo dilectus inquit: [b] *Haec est vera charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt.* Et rursum: [c] *Qui dicit, se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus, quoniam in ipso sumus.*

d Joann. 14, 21. 23. 24.

Quin etiam Christus ipse docet: [d] *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

Digitized by Google

V.

Quae sunt mandata Dei, ad Charitatem praecipue spectantia?

Decem Dei verba primum per Moysen Judaeis tradita, et deinde per Christum et Apostolos [a] Christianis omnibus commendata, quae et Decalogi nomen obtinuerunt, atque ita recensentur:

Ego sum Dominus Deus tuus.

1. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, [b] ut adores illud.*
2. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*
3. *Memento, ut diem sabbati sanctifices.*
4. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*
5. *Non occides.*
6. *Non moechaberis.*
7. *Non furtum facies.*
8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*
9. [c] *Non concupisces uxorem proximi tui.*
10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa, quae illius sunt.*

Exod. 20, 1—17. 34, 27—29.
Levit. 19, 1-4. 11-14. sq. 37.
Deut. 4, 1-15, 5, 6-22. 10, 1—5.
a Matth. 19, 16-19. 5, 17. 22, 36—40.
Mar. 10, 17-21. 12, 28—34.
Luc. 18, 18-20. 10, 25-28.
Rom. 2, 13. 7, 7. sq. 13, 8—10.
Galat. 5, 13. 14.
Jac. 2, 8—12. 1, 25. 4, 11. 12.
I. Tim. 1, 5—8.
Concil. Trident. sess. 6. can. 19. 20. et 21.
b Levit. 26, 1.
Exponunt Decalogum Orig. in Exc. homilia 8.
Aug. quaest. 71. in Exod. et ser. 95. de tempore, et de decem chordis.

c Deut. 5, 20. 21.

Digitized by Google

VI.

Quid sibi vult hoc exordium: Ego sum Dominus Deus tuus?

Decalogum exorditur Deus a notitia sui, et ab insinuatione majestatis suae, ut cognitum Legislatorem magis revereamur, ejusque propositis mandatis major apud omnes auctoritas constet. Nempe tam serio nobiscum agitur, ut si unquam [a] salvi esse velimus, hic velut in clarissimo speculo, divinae majestatis voluntatem, omnemque recte vivendi rationem certo contemplemur, agnitamque legem illam sanctissimam, [b] adjuvante Christi spiritu, accurate servemus.

Nec enim praecipit solum, sed [c] benedictionem quoque promittit, et opem tribuit noster Legislator. [d] *Spiritum meum*, inquit, *ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.*

Quare cum Christus [e] etiam praecepisset, *Tollite jugum meum super vos*, ne quis causaretur difficultatem, adjecit: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*, iis videlicet, qui, gratiae spiritu imbuti, in charitate non ficta ambulant.

VII.

Quid complectitur in se primum praeceptum?

Prohibet, ac damnat idololatriam, observationes superstitiosas, usum etiam artis magicae vel divinatoriae.

Deut. 6, 1-4. sq. 14. 15-25. 4, 23. 24. 39-40. 10, 16-21.
Malach. 1. 1. 5. 6. 14.
Hier. 32, 17—19.
Psalm. 46, 3.

a Matth. 5, 17-32. sq. 33—48. 19, 17. 28, 19.
Heb. 5, 9.
Psalm. 118, 1. 4. 21.
1. Joan. 3, 23. 24.
Aug. quaest. 140. super Exodum.
b Rom. 8, 26.
Joan. 1, 16.
Philipp. 4, 13.
c Psalm. 83, 8.
Deut. 28, 1—14.
Levit. 26, 3—41.
d Ezech. 36, 26. 27. 28-30. et 11, 19. 20.
e Matth. 11, 28-30.
1. Joan. 5, 2.
Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. et can. 18.
Chrysost. lib. 1. de conpunct. cordis.
Basil. quaest. 176. in regulis brevioribus.
Aug. de nat. et gra. cap. 43. et 69.
Item ser. 61. et 191. de temp.
Hieron. in symbolo ad Damasum.
Deut. 12, 2. 3. 4, 12. 15-19. 18, 9-14.
1. Reg. 28, 3.
Psalm. 113, 4—8.
Levit. 19, 26. 31. 20, 6—27.
Eccli. 34, 4. 5.

Digitized by Google

Docet etiam atque exigit, ut nullam prorsus [a] creaturam, quantumvis excellentem, pro Deo habeamus, sed solum unum verum, aeternum immensumque Deum credamus et confiteamur, eique uni sacrificium et singularem summumque [b] cultum, quem Graeci λατρείαν appellant, exhibeamus.

Hoc fit, ut super [c] omnia colamus, invocemus, adoremus summum illud aeternumque bonum, Optimum Maximum Creatorem, Redemptorem, Salvatorem, unum et immortalem Deum, [d] qui est super omnia benedictus, omnis gratiae et gloriae largitorem.

a Aug. lib. 10. de civit. Dei cap. 1. et epist. 49. ad Deo gratias, quaest. 3.

b Aug. 10. de civit. Dei, cap. 1. et 4. Contra Faustum l. 15. cap. 9. et lib. 20. cap. 21.

c Juan. 4, 23. 24. Rom. 10, 11. 12. 1. Joan. 4, 7 - 10. 13. 14. Matth. 4, 10. Luceae 4, 8. Esaiae 43. 1-3. 10-13. 2. Tim. 6, 13 — 16.

d Rom. 9, 5. Psalm. 83, 12. 13.

VIII.

Quomodo praeter Deum Sanctos colimus et invocamus?

De Sanctis, hoc est, sanctificatis, et in Christo renatis omnibus hoc loco non agimus, sicut [a] Paulus hoc nomen ad Christianos omnes crebro refert; sed eos intelligimus, qui vera suae sanctitatis [b] in coelo praemia sunt consecuti. De quibus idem Paulus testatur, quod [c] *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, et adepti sunt repromissiones.*

Ac hi vere quidem sancti et immaculati, sine macula et ruga, [d] haec praestantiora Ecclesiae membra, et electa prorsus organa divini Spiritus, in quae peccatum ac malum jam nullum cadere potest. Qui sancti partim ex

a Rom. 1, 7. 2. Cor. 1, 1. Philipp. 4, 21. 22. Coloss. 1, 1. 2. Philem. 7.

b Apoc. 7, 9. sq.

c Heb. 11, 33.

d Ephes. 5, 27. Apoc. 5, 8 — 12. 7, 9. sq. 21, 2 — 4. 23 — 27. 22, 3 — 5. Ephes. 4, 30. 1. Cor. 6, 19.

Digitized by Google

Angelica, partim ex humana natura constant, creaturae quidem illae omnium nobilissimae ac beatissimae, quibus datum est, ut summis et aeternis in coelo bonis affluant, et [e] cum Christo Domino semper conjunctissime vivant.

Igitur et illius gratia, quae apud nos in terris geruntur, possunt [f] intelligere: et quoniam eximia in fratres etiam absentes charitate flagrant, salutis nostrae cura [g] tanguntur, nobis perpetuo favent, et optant quaeque salutaria; tantoque studiosius causam nostram agunt, quo sunt minus de seipsis solliciti, quoque majorem sincerae [h] charitatis ac virtutis omnis, quae beatis congruit, perfectionem continenter exercent.

Est igitur, cur haec coeli lumina et Ecclesiae firmamentum, simul et ornamenta post Deum maxima [i] veneremur: est, cur sanctos hos prae caeteris mortalibus, quantumlibet excellentibus, magni faciamus, praedicemus, imitemur, et amemus plurimum: est, cur eosdem tanta talique dignitate jam auctos, magnis afficiamus honoribus, pro nostra quidem exiguitate: est denique, cur eos ipsos pro Christiana pietate compellemus sive [k] invocemus, non

e Philip. 1, 21—24. 2. Cor. 5, 1. sq. 6. 7. Greg. 4. moral. cap. 32.

f Greg. lib. 12. mor. cap. 13. et lib. 4. dial. cap. 33. Aug. de cura pro mortuis. cap. 15. et 16. Orig. cont. Celsum libro 8. 4. Reg. 5, 25. 26. 6, 8. 12. 1. Cor. 14, 24. 25.

g Dan. 10, 12—14. sq. 20. 21. Matth. 18, 10. Heb. 1, 14. Tob. 12, 12—15. Lucae 15, 10. Act. 5, 19. 20. 12, 7. Apoc. 5, 8-12. 8, 3. 4. Cyprianus de mortalitate.

h Hieron. in Vigilant. Bern. in vig. Petri et Pauli. et serm. 2. de S. Victore.

i Damasc. lib. 4. ortho. fid. cap. 16.

k Basil. in 40. mart. et in Mamentem. Nazian. in Cyprian. Athanas. Basilium. Amb. de viduis et de fide resur. et in cap. 22. Luc. Chrysost. hom. 66. ad populum. Effraem. de laudib. Mar. Hier. in epitaph. Pau. Aug. de cura pro mor. c. 4. et l. 7. cont. Donat. cap. 1. Bern. ser. 66. in Cantic. Theod. lib. 8. Graecar. aff. et in Philotheo. Prudentius in lib. περὶ στεφάνων. 7. Syn. action. 6. Vide etiam supra in Salut. Angelicam. Gen. 48, 16. Job. 5, 1. Gen. 32, 24-30. Oseae 12, 3. 4. Zach. 1, 12. 13. Hier. 15, 1.

Digitized by Google

sane, ut per se largiantur, sed ut apud Deum, omnis boni largitorem, nobiscum precentur, sintque vel immerentibus faventes et efficaces intercessores.

Cujusmodi cultus et invocatio si recte fiat, nimirum ut summus ille [l] cultus et honos summo Deo debitus, quem λατρείαν diximus, integre constet, nihil sane habet incommodi, neque cum scriptura [m] pugnat, sed firmis Ecclesiae testimoniis comprobatur, multumque affert utilitatis.

Quod autem hunc in modum Sanctos colimus, et cum Ecclesia invocamus, adeo Christi Salvatoris et Domini nostri gloriam [n] non obscurat, ut etiam magis illustret, amplificet, augeatque. Hic enim Christi Redemptoris virtus eximia splendescit ac gloria, quod is non quidem in se tantum, sed in [o] Sanctis etiam suis est, apparetque potens, gloriosus, mirabilis: quod eosdem [p] honorat ipse, nimisque [q] honorari vult in coelo et in terra: quod per eos itidem, et propter [r] eos multa largitur, et parcit saepe immerentibus. Nec enim obscurum est, quod [s] Abraham, Isaac, Jacob, David, Hieremias, quanquam defuncti, vivis tamen profuisse legantur.

Unde patres cum de Sanctis loquuntur, [t] suffragatores eos et inter-

l Aug. lib. 10. de civit. Dei, cap. 1. et lib. 20. cont. Faust. c. 21. Item lib. 8. de civit. Dei, c. 27.
m Rom. 15, 30. sq. Hebr. 13, 18. 19. Ephes. 6, 18 — 20. Coloss. 4, 2. 3. 1. Thess. 5, 25. 2. Thess. 3, 1. Luc. 7, 2 — 4. sq. Job. 42, 7. 10.
n Trident. Concil. sess. 25.
o Psal. 67, 36. Joan. 14, 12.
p Joan. 12, 26. Matth. 19, 28. Luc. 19, 16. 17. Apoc. 2, 26. 27. 3. 20. 21.
q Psal. 138, 17. Chrysost. hom. in Psal. 50. et hom. 27. in Matth. et 42. in Genes. Item serm. de virtutibus et vitiis.
s Gen. 26, 3 — 5. Exod. 32, 11 — 14. 3. Reg. 11, 11 - 13. 31-32. sq. 34 - 36. Esai. 37, 33 - 36. 4. Reg. 19, 34. 2. Mach. 15, 7. 8. 11 - 16. 26. 27.

t Ambr. de viduis et in c. 21. Luc. Leo. ser. 1. et 2. de Petro et Paul. et in sermonibus de anniversar. Pontif. Paulinus ad Cytherium et de B. Felice. Maximus de Taurineis martyribus. Basil. in 40. mart. Aug. quaest. 108. in Exod. Euseb. de praepar. Evang. lib. 13. c. 7.

Digitized by Google

cessores patronosque nostros frequenter appellant. Nec immerito sane, quod Sanctorum fida suffragia, cum humiliter et pie in Christi nomine implorantur, experientia teste, multis opitulentur.

Quare jam pridem damnati sunt[v] Vigilantiani, qui Sanctos et horum[x] Reliquias sacras suis fraudant honoribus, quos illis Ecclesia tribuit orthodoxa.

Nec audiendi etiam calumniatores, qui fingunt[*] divinum honorem in homines hac ratione transferri, Sanctos pro Diis adorari, creaturas creatori a Catholicis exaequari. Nam longe secus rem habere, cum alia multa convincunt, tum vetus, et sollennis illa testatur supplicatio, quam Litaniam vocant, ubi Deus divinaeque personae primum, ac multo quidem sublimius, quam[y] Sancti et Sanctorum ordines omnes coluntur et invocantur. Hinc et illae de Sanctis institutae feriae, quas Augustinus, adversus Faustum Manichaeum scribens, [z] ita defendit: Populus Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosa sollennitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.

v Hieron. cont. Vigilant. et in epist. ad Riparium. et in cap. 65.
Esai. 2. Synod. Nicaen. et Gangrens.
x 4. Reg. 13, 21.
Aug. 22. de civ. Dei, c. 8. Dam. lib. 4. c. 16.
Bas. in Ps. 115.
Chrysostom. in Juvent. et Max.
Item in Babylam.
Amb. epist. 85. et serm. 91. et 92.
Trident. sess. 25.
Act. 19, 11. 12. 5, 14. 15. sq.
Luc. 8, 44.
Matth. 14. 35. 36.
* Genes. 19, 1. 2. 23. 7. 33. 3. 6. 7. 42. 6. sq.
Iosue 5, 13-16.
1. Reg. 20, 41. 25, 23. 24.
4. Reg. 2, 15.
y Bern. serm. de 4. modis orandi. Victor. lib. 3. de persecut. Vuandal.
z Lib. 20. contra Faust. c. 21. in Ps. 88. Conc. 2. et ser. 47. de sanctis. Bernard. in vigil. Petri et Pauli. Isid. lib. 1. de offic. Eccl. c. 34 et 35.

IX.

Pugatne cum hoc primo praecepto usus receptus imaginum Christi atque Sanctorum?

Haudquaquam: quia non, sicut[a] Ethnici solent, adoramus sculptilia,

a Baruch. 6, 28.
Deut. 4, 15-19. 5. 8. 9.
Psalm. 113, 4-8. 134, 15-17.
Sap. 14, 12-22. 27-31.
1. Cor. 10, 7. 8, 4-6.

Digitized by Google

ligna, lapides, perinde ac [b] Deos quosdam (id enim hoc praecepto cavetur maxime), sed more Christiano ac mente pia Christum ipsum et Sanctos illic veneramur, ubi per imagines propositas nobis [c] repraesentantur.

Ita tum praesens, tum vetus [d] Ecclesia summo consensu docet, commendans nobis pias et venerandas Imagines, ut quarum usum Apostolica etiam traditione commendatum acceperimus, et sacrosancta Patrum Synodo approbatum retineamus. Immo et veteri [e] Synagogae suas Deus imagines dedit.

Quapropter damnatus est [f] error Iconoclastarum, ut qui inter simulachra Deorum et imagines Christi atque Sanctorum discrimen nullum constituerent; neque rationem temporis gratiae seu novae Legis haberent, quo Deus homo factus, imaginem similitudinemque [g] suam mitio a se creatam ipse induit, atque in ea se nobis repraesentavit. Neque solum imperitus error, sed etiam nefandus istorum [h] furor est, qui sacris e locis imagines ipsas, et in his Dominicam quoque crucem ejiciunt, ac sacrilegis manibus sacra fere omnia, ubi possunt, demoliuntur.

b Levit. 26, 1. Tert. lib. 2. adversus Marcionem.

c Basil. de spir. sancto cap. 18. Damasc. lib. 4. cap. 17. orthod. fid. Athanas. serm. 4. cont. Arian.

d 7. Synod. Item 8. Synod. can. 3. Aug. lib. 1. de cons. evang. cap. 10. Damasus in vita Sylvestri. Athanas. de pass. imagin. c. 4. Greg. lib. 9. epist. et lib. 7. indict. epist. 51. et 109. Dam. lib. 4. cap. 17. ortho. Euse. lib. 7. Eccl. hist. c. 14. Soco. lib. 5. cap. 20. Nicep. lib. 2. c. 7. et 43 et l. 6. c. 16. Nicetas de imperio Manuelis Comneni, lib. 3. et Joan. Comneni Jonas Aurel. de imag. cultu, et Damascenus in trib. II. de imaginibus.

e Exod. 25, 18—22. 37, 6—9. Num. 7, 8. 21, 7—9. 3. Reg. 6, 23—35.

f 2. Synod. Nic. Act. 7. et Syn. 8. can. 7. Nic. lib. 16. c. 27. Greg. lib. 9. epist. 9. ad Serenum Massiliensem. Trid. sess. 25.

g Genes. 1, 26. 27. Philip. 2, 6. 7.

h Paulus Diaconus lib. 6. de gestis Longobard. cap. 14. et lib. ultim. de gestis Roman. in fin. Joan. Patriarcha Hierosolymit. in vita Damasceni.

Digitized by Google

X.

Quid nobis praescribit secundum praeceptum?

Prohibet abusum divini nominis et irreverentiam, quae committitur a perjuris, blasphemis, et per Deum, Sanctos, vel sacra [a] temere jurantibus, contra illud, [b] *Nolite jurare: sit sermo vester, est, est, non, non.*

Deinde requirit, ut juxta rectum linguae usum ingentem reverentiam divino nomini exhibeamus, juramenta servemus, vota Deo et Ecclesiae facta non violemus; denique ut verbum [c] Dei tractemus reverenter.

XI.

Quid imperat tertium praeceptum?

Postulat Sabbatum seu diem festum in Ecclesia piis operibus transigi. Vult igitur, ut animus tunc adsit curis vacuus, qui se libere transferat ad cultum interiorem et exteriorem Deo in fide, spe et charitate praestandum. Vult, ut expediti, divina meditemur beneficia, tractemus sacra, oremus et adoremus Deum cum privatim, tum publice, cum aliis in [a] Spiritu et veritate.

Prohibet autem diebus festis laborare, operibus vacare mechanicis, et occupationibus deditum esse profanis, nimirum ut otio sancto vacemus, adeundo templum, et audiendo publicum

Exod. 20, 7.
Levit. 19, 12. 5, 14.
Eccli. 23, 9-20. 27, 15.
Zach. 5, 3. 4. et 8, 16. sq.
Levit. 24, 14—16.
Matth. 5, 33—37.
a Conc. Tolet. 8. can. 2.
b Matth. 5, 37.
Jac. 5, 12.
Psal. 33, 2.
Hierem. 4, 1. 2.
Psal. 14, 1. 5. 75, 12.
Eccle. 5, 3. 4.
1. Tim. 5, 11. 12.
Deut. 23, 21. 23.
c Psal. 49, 14. 16.
2. Cor. 2, 17. 4, 2.
Trid. Synod. sess. 4.

Exo. 20, 8—11. 31, 13—17.
Deut. 5, 12-15.
Levit. 23, 1-6. 15-25. sq.
Hier. 17, 21. 22.
Esaiae 56, 4—7.
Apoc. 1, 10.
Act. 20, 7. sq.
1. Cor. 16, 1. 2.
Aug. ad Januarium ep. 119. cap. 12. et 13. et epi. 118. cap. 1.
Item serm. 154. de temp.
Leo epist. 81. ad Dioscor.
a Joan. 4, 21.
Deut. 5, 12. sq.
Num. 15, 32—36.
Levit. 23, 1—6. sq.
Ignat. ad Phil. Leo serm. 3. de quadrag.
Greg. lib. 11. epist. 3. c. 16. et ser. 251. de temp.
Hier. in cap. 4. ad Galat. Aug. contra Adimant.
Agath. can. 21. et 47.
Conc. Mogunt. can. 36. 2. Matisc. can. 1.

Digitized by Google

Ecclesiae sacrum seu Missam, et statam concionem, quemadmodum hoc praeceptum observare pii consueverunt.

XII.

Quae summa est horum trium praeceptorum?

Haec tria priora quidem praecepta, quae sunt [a] primae tabulae, nos eo instituunt, ut verum Deo cultum praestemus, interiorem scilicet et exteriorem, corde, ore et opere, privatim et publice.

Reliqua septem, quae porro sequuntur, praecepta secundae tabulae dicuntur, in hoc addita, ut nostrum erga proximum officium explicent.

a Aug. quaest. 71. in Exod. et in Psalm. 32. conc. 1.

XIII.

Quid proponit et injungit quartum praeceptum?

Docentur hic filii, quid suis debeant parentibus, quorum et ope in hanc lucem editi, et labore liberaliter sunt educati. Docentur et [a] subditi, suum deferre officium majoribus, id est, omnibus, qui dignitate et potestate quadam sive in politicis, sive in ecclesiasticis magistratibus gerendis praecellunt.

Debent autem et illi parentibus, et hi majoribus suis tum interiorem, tum exteriorem [b] quandam reverentiam et observantiam, [c] opem itidem et obedientiam.

Deut. 5, 16.
Coloss. 3, 20.
Ephes. 6, 1—3.
Eccl. 3, 1-3. 6-18.
Prov. 23, 22. 25.
Tob. 4, 1—5.
d Rom. 13, 1—7.
Heb. 13, 17.
Tit. 3, 1. 2, 9. 10.
1. Tim. 2, 1—3. 6, 1. 2.
1. Pet. 2, 13. 18. 5, 5.
Ephes. 6, 5-8.
Coloss. 3, 22—24.
b Levit. 19, 32.
1. Pet. 2, 13—18.
Genes. 43, 26.
1. Tim. 6, 1. 2.
Eccli. 4, 7.
Act. 10, 25.
c 1. Tim. 5, 17.
1. Cor. 9, 7—14.
Mat. 10, 9. 10. 22. 21.
Luc. 10, 7. 8.
Amb. lib. 5. Hexa. c. 16.

Digitized by Google

d Matth. 15, 3—6. Hebr. 13, 17. sq. Exod. 21, 15. 22, 28. 29. Levit. 20, 9. Deut. 21, 18-21. 27, 16. Prov. 20, 20. 28, 24. 30, 11. 17. Eccle. 3, 14.

Vetatur praeterea, ne quacumque ratione vel [d] offendamus, vel contristemus personas ejusmodi sublimiores, sive verbis aut signis, sive factis id committatur.

XIV.

Quid includit quintum praeceptum?

Genes. 9, 5. 6. Levit. 14, 17. 19-21. 19, 16. 18. Deut. 5, 17. Ex. 20, 13. 21, 12. sq. Matth. 5, 21—24. Jac. 2, 11. 1. Joan. 3, 15. Ephes. 4, 26. 31. Coloss. 3, 8. Psalm. 4, 5. Rom. 12, 19. Deut. 32, 35. Eccli. 28. 1—14. Heb. 10, 30. 12, 15. a Ephes. 4, 1—3. Coloss. 3, 12—14. Rom. 12, 14. 18. sq. 1. Pet. 3, 8. 9. Ephes. 6, 9. Philip. 4, 7. Mat. 6, 14. 15. 5, 38-48. 18, 21. 22. 33. sq. Lucae 6, 37. Marc. 11, 25. 26. sq. Prov. 24, 29. b Ephes. 4, 32.

Non solum externam prohibet caedem et vim omnem, quae corpus et vitam proximi laedit, sed etiam iram, odium, rancorem, indignationem, vindictae cupiditatem, et quosvis internos affectus ad proximi laesionem propensos, amputat.

Requirit vero [a] animi mansuetudinem, humanitatem, clementiam, comitatem, beneficentiam: nimirum ut injuriarum facile obliviscamur, nec vindictam expetamus, sed ita condonemus invicem offensas, sicut in Christo Deus [b] nobis donavit.

XV.

Quid habet sextum praeceptum?

Levit. 20. 10. sq. 19. 29. Deut. 22, 22. sq. 20. 21. 23, 17. 18. Matth. 5, 27. 28. Eccli. 41, 21. 25. 27. 1. Cor. 6, 9. 10. 19. 20. Eph. 4, 17. 18. 5, 3. sq. Prov. 6, 23. 24. sq. Judae 4. 23.

Prohibet fornicationem, adulterium, et omnem concubitum illegitimum, ac impuram qualemcunque libidinem.

Caveri praeterea, et praescindi vult occasiones, quae carnis libidinem irritant ac fovent, ut sunt [a] obscoena

a Coloss. 3, 8. sq. Ephes. 5, 3. 2. Pet. 2, 6—14.

Digitized by Google

verba, cantilenae inhonestae, gestus impudici.

Requirit ex adverso fidem [b] in conjugio, tum pudicitiam omnem, sive [c] cordis in cogitationibus et desideriis, sive [d] corporis in lingua, facie, oculis, auribus, tactu atque omni demum habitu cultuque exteriore, ut sive soli, sive cum aliis vivamus, non modo luxus et intemperantiae notam effugiamus, verum etiam modestiam, frugalitatem continentiamque sedulo exerceamus.

b 1. Thess. 4, 3. 4. Heb. 13, 4. Tob. 4, 6. 1. Cor. 7, 3. 4-10. sq.
c Tob. 3, 16-18. Matth. 15, 18. 19. Dan. 13, 8-11. sq. 56.
d 1. Tim. 5, 11-13. Eccles. 9, 3. sq. Job. 31, 1. 2. 9. sq. Prov. 6, 23. 24. Gen. 9, 22-26. Deut. 25, 11-12. Genes. 38, 8-10. 1. Tim. 2, 8-10. 1. Pet. 3, 1. sq. Esaiae 3, 16—26. Amos 6, 1. 4. 5. sq. Jac. 5, 1—5. Rom. 13, 12—14. Ezech. 16, 48—52. 1. Tim. 5, 6. 22.

XVI.

Quid docetur in septimo praecepto?

Prohibetur omnis rei alienae illicita contrectatio et usurpatio per furtum, rapinam, simoniam, usuras, lucra injusta, dolum, malum, et quosvis contractus alios, quibus fraterna laeditur charitas, ac proximus fraude circumvenitur.

Levit. 19, 11. 13. 15. 35. 36. — Eph. 4, 28. 1. Cor. 6, 7—10. Lucae 6, 34. Act. 8, 18—24. 4. Reg. 5, 20-22. 25. sq. Deut. 25, 13—14. Prov. 11, 1. 20, 10. Eccles. 10, 6—8. 1. Thess. 4, 6. Psalm. 14, 1. 3. sq. Lucae 6, 29. Ezech. 18, 5. sq. 7. sq. 12. sq. Rom. 13, 7. Matth. 5, 38—48.

Exigit e regione hoc praeceptum, ut in omni negotio seu commercio inviolata servetur aequitas, et proximi utilitas, sicubi sese offerat occasio, quacunque ratione ac ope nostra promoveatur.

XVII.

Quid in octavo praecepto comprehensum est?

Prohibemur eo, falsum dolosumve testimonium in quemquam proferre, et quoquo modo proximi causam in ju-

Levit. 19, 11. sq. Exod. 23, 1. 3. 6—8. Deut. 5, 20. 16, 18-20. 19, 15. 21. 27, 19. Prov. 12, 17-22. 4, 24. 14, 21-29. 25, 18.

Digitized by Google

Jac. 4, 11.
I. Pet. 2, 1.
Ephes. 4, 25. 29.
Prov. 17, 4. 5. 7. sq. 18, 6-8. 19, 5.
Rom. 1, 24. sq. 29. sq.
Psalm. 5, 7-8. 10. 11.
Apoc. 21, 8. 22, 14. 15.
Jac. 3, 2—16.

dicio subvertere, vel etiam extra judicium famam illius laedere: quod sane fit a susurronibus, detractoribus, maledicis, criminatoribus et adulatoribus. Breviter omne mendacium, et omnis linguae contra proximum abusus hic interdicitur.

Matth. 12, 35. 36.
Coloss. 3, 8. 9. 16. 17.
Ephes. 4, 29—32.
Prov. 15, 1. 2. 4. 7.
Eccle. 6, 1. 5.

Docemur interim, de proximo bene et commode loqui, nempe ad illius defensionem et utilitatem sine fuco, simulatione, insidiisve.

XVIII.

Duo postrema praecepta quid continent?

Deut. 5, 21.
Eccli. 25, 28.
Matth. 5, 27. 28.
Rom. 13, 9.
I. Thess. 4, 3—6.
Jac. 1, 14. 15.
Esaiae 1, 23.
Eccl. 5, 1. 2. 18. 30. 31.
Psal. 9, 4-9. 61, 11.
Act. 20, 33.

Vetant concupiscentiam uxoris, ac rei alienae: ut non solum ab uxore aliena, illicitis commerciis, et externa apertaque injustitia nos abstineamus; sed etiam ne voluntate quidem noceamus cuiquam, aut nocere deliberemus.

Job. 31. 1. 2. 9-11.
I. Cor. 10, 24.
Tob. 9, 8. 9, 10, 10. 11.
Genes. 24, 59. 60.
I. Tim. 6, 9-11.

Igitur hoc utrumque praeceptum cordis sinceritatem et benevolentiam erga omnes integram esse vult, ut quae in rem et salutem proximi cedunt, optemus ex animo, neque cupiditati unquam cum levi alterius injuria consentiamus.

XIX.

Quo demum referenda sunt mandata Decalogi omnia?

Ad Charitatem, quam nobis geminam duae illae [a] Tabulae, quibus Dei digito mandata haec inscripta fuere, commendant. Docent enim primae mandata, quae ad charitatem Dei:

a Exod. 32, 15. et 34, 1. 4.

Digitized by Google

mandata vero secundae tabulae, quae ad charitatem proximi spectant.

Igitur ex his decem duo quidem priora id faciunt, ut, quae vitia cultui honorique Dei maxime adversantur, idololatriam scilicet ac perjurium inprimis caveamus.

Tertium porro mandatum admonet, verum purumque cultum corde, ore ac opere fideliter exhibendum esse. Quod sane ubi recte observatur, solus utique Deus in omnibus et super omnia diligitur ac honorificatur.

Jam summa Praeceptorum, quae ad proximum diligendum pertinent, vel hoc uno constat: [b] *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* Cui respondet illa Christi sententia: [c] *Omnia, quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim Lex et Prophetae.*

b Tob. 4, 16.

c Matth. 7, 12. Luc. 6, 31.

XX.

Quae sunt fraternae charitatis officia et argumenta?

De his Paulus ita disserit: *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa: Non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

1. Cor. 13, 4—7. Greg. lib. 16. moral. cap. 8.

Christus vero, ut seipsum nobis veraeque perfectaeque charitatis exem-

Joan. 13, 1. Luc. 22, 14. 15. 19. 20.

Digitized by Google

plum praebeat, in postrema illa coena, quam praeclaris suae charitatis indiciis, mire condivit, tam serio dixit: [a] *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.* Ac iterum: [b] *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quod tanti est sane momenti, ut Paulus affirmet: [c] *Qui diligit proximum, legem implevit.*

a Joan. 13, 34.
b Joan. 15, 12.
c Rom. 13, 8.

Igitur ut hunc de Charitate locum oraculo divino absolvamus: [d] *Eligevitam, ut tu vivas, et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum: atque obedias voci ejus, et illi adhaereas. Ipse enim est vita tua, et longitudo dierum tuorum.*

d Deut. 30, 19. 20.

Tum ne quisquam dubitet, Evangelicam Christi doctrinam hac in parte cum lege quadrare, dictum illud a Christo meminerimus: [e] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et alibi post commendata Charitatis praecepta et opera, idem haec verba subjunxit: [f] *Hoc fac et vives.* [g] *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

e Matth. 19, 17.
f Lucae 10, 28.
g Rom. 2, 13.

Ex hisce factoribus [h] erant Abel, Noë, Abraham, Zacharias, et caeteri, quos scriptura justos apud Deum fuisse testatur, ut qui opere et veritate Deum proximumque diligerent.

h Gen. 6, 9. 7, 1. In oratione Manassis. Sap. 10, 4—6. sq. Matth. 23, 35. 1, 19. Job. 13, 18. Luc. 1, 5. 6. 2, 25. Jac. 2, 21.

Quare David inter eos haud punstremus et sancte gloriabundus canit: [i] *Viam mandatorum tuorum cucurri,*

i Psal. 118, 32.

Digitized by Google

sum dilatasti cor meum: [k] *Dilexi, servavi, custodivi mandata tua et testimonia tua:* [l] *In custodiendis illis retributio multa.* [m] *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis.*

k Psalm. 118. 159. 167. 168.
l Psalm. 18, 12.
m Psalm. 118, 21.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

I.

Suntne praeter Decalogum alia praecepta Christianis observanda?

Sunt utique, quando [a] Legislator et [b] Magister noster Christus non solum docuit [c] praecepta Decalogi, sed etiam in universum praecepit, quae ad obedientiam Apostolicis et Ecclesiasticis mandatis praestandam spectant.

a Jac. 4, 12.
b Matth. 23, 10.
c Matth. 19, 17-19.

Hinc extant Evangelicae illae sententiae: [d] *Sicut misit me pater, et ego mitto vos.* [e] *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.* [f] *Si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ubi summum atque extremum judicium Christus defert, deferrique jubet ad Ecclesiam, id est, [g] ad Ecclesiae Praepositos et Rectores, sicut Chrysostomus [h] interpretatur, et verba Evangelii mox sequentia declarant atque convincunt.

d Joan. 20, 21. et 17, 18.
e Lucae 10, 16.
f Matth. 18, 17-19.
g 3. Reg. 18, 14.
h Homil. 61. in Matth. et Basil, c. 30. constitut. monast. Item Theoph. et Euthymius in c. 18. Matth.

Proinde nec frustra scriptum est de Apostolo Paulo: [i] *Perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias,*

i Actor. 15, 41. et 16, 4.

Digitized by Google

praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.

II.

Cujusmodi porro sunt Apostolorum Seniorumque praecepta, quae Paulus custodire jussit?

Pauli discipulus Dionysius Areopagita [a] testatur, duplicis ea generis: utpote, partim scripta, partim non scripta esse. Ad utrumque genus pertinet, quod Joannes affirmat Evangelista: [b] *Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et Spiritum erroris.*

Ac primum quidem genus quod literis mandatur, scriptisque legibus constat, satis est perspicuum: quia libris canonicis constat.

Posterius vero circa praecepta et instituta ea versatur, quae uno Traditionum nomine comprehendi, et a Patribus [c] nuncupari solent. Non enim scripto, uti superiora, sed viva voce tradita, et velut per manus a majoribus ad nos transmissa, Ecclesiaeque commendata retinentur.

a Eccl. hier. c. 1. et Basil. de Spiritu sanct. cap. 27. Eus. lib. 1. demonst. evang. cap. 8. Epiph. haer. 61. contra Apost. Tert. de corona militis.

b 1. Joan. 4, 6.

c Cypr. de ablut. pedum. Hieron. contra Lucifer. Chrysost. in 2. ad Thess. 2. hom. 4.

III.

Estne utrumque hoc praeceptorum genus observatu necessarium?

Est plane, si doctorem Paulum sequimur ita praecipientem: [a] *State et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Unde laudat hoc nomine Co-

a 2. Thess. 2, 15. et ibi. Chrysost. ac Theophil.

Digitized by Google

rinthios, quod Apostolica [b] praecepta, quae viva voce tradita jam acceperant, sedulo custodirent. Tum admonet Thessalonicenses, [c] ut ab omni se fratre subducant, qui inordinate, et non secundum traditionem ab Apostolis acceptam ambulat.

b 1. Cor. 11, 2.

b 2. Thess. 3, 6.

Atque hoc est, quod sacrosancta Synodus Nicaena [d] divinae scripturae consonans, verbis tam luculentis expressit: Oportet nos Ecclesiasticas Traditiones, sive scripto, sive consuetudine in Ecclesia retentas, unanimiter et inviolabiliter observare. Et apud Cyprianum [e] legimus, non minus ratum esse, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod Christus ipse tradidit. Sicut [f] enim par est Spiritui sancto et Christo divinitas; ita utriusque in suis institutis aequa est auctoritas et potestas.

d 2. Nicae. contra Iconomachos action. 7. Item 8. Synod. can. 1.

e De ablutione pedum.

f Ibidem.

IV.

Quomodo cognoscemus, quae sint Apostolicae et probatae in Ecclesia Traditiones?

De his nobis regulam observatu dignam Augustinus [a] praescribit: Illa, inquiens, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Sic idem [b] contra Donatistas, immo Haereticos omnes disserens, hoc graviter admonet: Quod

a In epist. 118. ad Januarium cap. 1.

b Lib. 4. cap. 24. et lib. 2. cap. 7. Item lib. 5. c. 13.

Digitized by Google

universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.

Cui Leo ille [c] Magnus consonans ait: Dubitandum non est, quicquid in Ecclesia in consuetudinem devotionis est retentum, de Traditione Apostolica et de sancti Spiritus prodire doctrina.

c Serm. 2. de jejun. Pentecostes.

V.

Cujusmodi sunt Traditiones Apostolicae, quae Christianis tenlunt observandae?

Exempla satis multa apud Patres extant, et eos quidem, qui vel ante mille annos fidem publicam meruerunt. Nimirum secundum Traditionem [a] Origenes et [b] Augustinus docent, Parvulos esse baptizandos.

a In c. 6. ep. ad Rom.
b Lib. 10. de gen. ad lit. c. 23. et cont. Donat. l. 4. cap. 24.

[c] Dionysius et [d] Tertullianus ostendunt, precationes et oblationes pro defunctis ad altare fieri oportere.

c De Eccl. hierarch. cap. 7.
d In exhorta. ad castitatem et de corona militis.

Hinc [e] Hieronymus et [f] Epiphanius statas Ecclesiae jejunationes, praesertim Quadragesimae, observandas esse commonstrant.

e Ad Marcellam contra err. Mont. epist. 54.
f Contra Aërium haeres. 75.

Sic etiam [g] Ambrosius et [h] Chrysostomus eorum dignitatem adstruunt, quae in sacro Missae officio solemniter peraguntur.

g In officio Mediolanen.
h In Liturgia.

Tum praeter [i] Damascenum Patres, quos Nicaena Synodus secunda [k] citat, eadem ratione testantur, quod Christi et Sanctorum ejus imagines deceat venerari.

i Lib. 4. de orthodox. fide, c. 17. et in lib. de imaginibus.
k Action. 6. tom. 1. et actione 7.

Digitized by Google

Demum, ut caeteros omittamus, Magnus ille [l] Basilius ob traditionem retineri vult sacrum Chrisma, aliasque solemnes caeremonias, quae Sacramentis sanctissimis adhibentur.

l Lib. de spiritu sancto, cap. 27.

Et addit [m] Basilius: Si instituta consuetudinesque non scriptas tanquam in eis vis magna non insit, semel repudiare aggrediemur, clam ac pedetentim ratas ipsas Evangelii sententias improbabimus, aut potius ad inane nomen ejus praedicationem contraliemus. Sed Apostolicum existimo [n] ait, iis etiam traditionibus, quae scriptae non sunt, inhaerere.

m Ibidem.

n Cap. 29. ejusdem libri.

VI.

Quantum hodie circa Traditiones Apostolicas et Ecclesiasticas aberratur?

Plurimum, dum eas plerique contemnunt, alii negligunt, aut certe pluris non faciunt, quam Politicorum [a] magistratuum constitutiones: et haec instituta esse hominum fingunt, quae vel observare, vel omittere, liberum sit, exiguaeque, aut nullius omnino frugis: ipsi ἀδιάφορα vocant.

a Rom. 13, 1—4.

Sunt qui universas fere Traditiones ejusdem esse ponderis volunt, atque adeo foede commiscent Scripturae loca, perinde ac idem sit judicium de Traditionibus [b] Pharisaicis, et Apostolicis, de [c] Judaicis, et [d] Ecclesiasticis; de privatis seu particularibus, [e] et iis quae totius Ecclesiae consensu receptae, communique piorum usu tot

b Matth. 15, 9. 3-6.
c Coloss. 2, 8. 20-23. Marc. 7, 3. 4.
d 2. Thess. 2, 15. Act. 15, 40-41. 16, 4.
e Aug. in epist. ad Januar. 118. cap. 1. et 2. Item epistol. 86. ad Casulan.

Digitized by Google

seculis comprobatae, ac veluti per manus ad nos transmissae, ubique fere gentium comperiuntur.

VII.

Quid vero de iis indicandum, qui Ecclesiae Traditiones repudiant, ac pro nihilo habent?

Hos verbum Dei redarguit ac damnat, cum Traditiones [a] observandas esse decernit, cum jubet [b] Ecclesiam audire, et Apostolorum Seniorumque [c] praecepta custodire. Verbum Dei est, quod subjicit nos Magistratibus cum [d] Politicis, tum [e] Ecclesiasticis, modestis [f] juxta et discolis propter [g] conscientiam; vult illorum legibus et reverentiam [h] et obedientiam deferri maximam. *Obedite*, inquit, [i] *Praepositis vestris, et subjacete eis: Omnia* [k] *quaecunque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere.*

Quapropter isti non tam homines spernunt, [l] quam Deum ipsum Opt. Max. quem in [m] Apostolis eorumque [n] successoribus audire ac revereri sane oportebat. Igitur plane verbo Dei resistunt, dum potestati et ordinationi Dei resistunt, et hinc sibi damnationem acquirunt, si Paulo [o] credimus.

Nimirum divina est isthaec ordinatio, quae nec aboleri potest humana auctoritate, ut certis legibus, iisque partim scriptis, partim non scriptis, quas [p] Apostolica nobis commendat Traditio, Ecclesia regatur, dogmata con-

a 2. Thess. 2, 15. 1. Cor. 11, 2.
b Matth. 18, 17.
c Act. 15, 41. 16, 4.
d Rom. 13. 1. Matth. 22. 21.
e Matth. 23. 2. Lucae 10, 16.
f 1. Pet. 2, 18.
g Rom. 13. 5-7.
h Tit. 3. 1.
i Hebr. 13, 17.
k Matth. 23, 3.
l 1. Thess. 4, 8. 1. Cor. 14, 37.
m Joa. 20, 21. 17, 18. Lucae 10, 16.
n Cyprian. l. 4. epist. 9. ad Flor. Puppianum. Basil. c. 23. Constit. Monasticar.
o Rom. 13, 2.
p Basil. de spiritu sanct. cap. 27. Aug. lib. 4. contra Donat. cap. 24. et lib. 2. cap. 7. lib. 5. cap. 23. et 26. Epiph. haeres. 5. Euse. lib. 3. Eccl. hist. cap. 30.

Digitized by Google

serventur, Religio vindicetur, alatur concordia, disciplina retineatur.

VIII.

Quid Patres hac de re judicarunt?

Origenes, qui celebris et pervetustus est auctor, in haec verba scripsit: [a] Haereticus nobis habendus est omnis ille, qui Christo se credere profitetur, et aliud de veritate Christianae fidei credit, quam habeat definitio Traditionis Ecclesiasticae. Tum idem alibi: [b] Illa sola credenda est veritas, inquit, quae in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione. Et Hieronymi verbum est: [c] Ego illud te breviter admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, praesertim quae fidei non officiunt, ita observandas, ut a majoribus traditae sunt.

a In cap. Epist. ad Tit. teste Pamphilo in Apol. pro Origene. Vide etiam Iren. lib. 4. cap. 23.

b Lib. 1. Periarchoo, in prooem.

c Ad Lucinium epistol. 28.

Augustinus vero ita [d] docet: Si quid divinae Scripturae praescribit auctoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus: similiter etiam, si quid per orbem frequentet Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est. Ac rursus idem: [e] In his rebus, de quibus nihil certe statuit scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. Et sicut [f] praevaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.

d Epist. 118. cap. 5.

e Ad Casulanum epist. 86.

f Dist. 11. c. In his.

Digitized by Google

Denum Tertullianus, doctissimus et antiquissimus Ecclesiae scriptor, toto libro [g] adversus eos disputat, qui nihil, quod litteris sacris non sit expressum, admittunt, graviterque contendit, traditiones et observationes quasdam Ecclesiasticas esse non scriptas, quae non possint nisi ab Haereticis repudiari. *Si quis autem videtur contentiosus esse* (ut Paulinis [h] verbis utamur) *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

g Lib. de praescriptionibus adversus haereticos.

h 1. Cor. 11, 16.

IX.

Age vero, quid est Ecclesia?

Ecclesia est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium universitas, quam Princeps Pastorum Christus, tum Petro Apostolo, tum hujus [a] successoribus pascendam tradidit atque gubernandam.

Rom. 12, 4. 5.
1. Cor. 12, 12.
1. Pet. 5, 4.
Joan. 21, 15—17.
Matth. 16, 18. 19.
a Chrys. lib. 2. de Sacerdotio.
Conc. Florent. Bernar. lib. 2. de Consid. ad Eugenium.

Quare nomen Ecclesiae non merentur, sed [b] falso arrogant sibi Haeretici et Schismatici omnes, qui etsi fidem atque doctrinam Christi profiteri videntur! tamen summi Pastoris ac Pontificis, quem Christus ovili Ecclesiae loco suo praefecit, et perpetua [c] successione in Romana Ecclesia usque conservavit, oves esse detrectant.

b Hieron. cont. Lucifer.
Cyprian. lib. 4. epist. 9.

c Iren. lib. 3. c. 3.
Optatus lib. 2.
Aug. epist. 165. et 42. et in psalm. contra partem Donati.

Hanc Petri Cathedram, hunc Ecclesiae primatum, qui negant et oppugnant, primum illi quidem Christi magnificas promissiones * Petro factas, et mysticas regni coelestis claves illi uni traditas, aliaque multa de Pe-

* Matth. 16, 18-19.
Joan. 21, 16—17.
Lucae 22, 31. 32.
Mat. 10, 2. 17, 24-27.
Joan. 1, 42.
Act. 1, 15. sq.

Digitized by Google

tro Apostolorum[d] principe, ore, ventice scripta non intelligunt: Deinde pacem Ecclesiae ordinemque certum manifeste perturbant, quae absque summo Antistite et hujus praecellenti auctoritate nec rite gubernari, neque in unitate atque contra portas inferorum soliditate necessaria, diu contineri posset. Postremo Patribus horumque Synodis et scriptis de hac illustri Ecclesiae nota consentientibus, immo et totius orbis Christiani consonae voci detrahunt impudenter.

Agnovit hanc Ecclesiam ejusque dignitatem Hieronymus,[f] cujus haec verba sunt: Qui Petri Cathedrae jungitur, meus est. Agnovit Optatus[g] Afer, qui Petri Cathedram inter veras Ecclesiae notas primam esse testatur. Agnovit Augustinus,[h] qui aperte scribit, in Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae principatum viguisse. Agnovit[i] Cyprianus, qui omnium haeresum et schismatum pullulantium causam in eo statuit, quod uni et summo sacerdoti ac judici vice Christi non obtemperatur. Agnovit Ambrosius,[k] ut dixerit, se in omnibus cupere Romanam sequi Ecclesiam.

His autem omnibus antiquior, et Apostolorum temporum vicinus vereque Apostolicus vir Irenaeus[l] tale tribuit elogium Ecclesiae Romanae: Ad hanc, inquit, Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est

d Cyp. de simp. In c. 16. Matth. Hilar. Hiero. et idem lib. 1. in Jovinianum. Cyril. in Joan. lib. 2. cap. 12. August. in Joan. tract. 56 et 124. Orig. hom. 2. in divers. evang. et tract. 6. in Matth. Basil. de poenit. Chrys. hom. 87. in Joan. et 55. in Mat. item 8. de poenitentia.

e Leo Magn. ser. 3. in annivers. Pont. et epist. 89. ad Episc. Vienensis provinc.

f Aug. contra epist. Fundam. c. 4. Item de utilitate credendi c. 17. et 11. cont. Faustum cap. 2.

g Ad Damasum ep. 58. et ad eundem epist. 57.

h Lib. 2. contra Donatist.

i Epist. 162. 90. 92. 93. et 165.

k Lib. 1. epist. 3. et lib. 4. epist. 9. Item Hier. cont. Lucifer. et Leo epist. 84. ad Anast. Thess. c. 11.

l Lib. 3. de Sacrament. c. 1. et de obitu Satyri.

Lib. 3. c. 3. Tertul. de praescript. haeret.

Cyp. lib. 4. epist. 8. et lib. 3. epist. 11. Theod. l. 2. hist. c. 4.

Digitized by Google

Bern. epist. 190. ad Innoc. et lib. 2. de consid.
Concil. Chalced. action. 3.
Anaclet. ep. 1. et 3.
Marcel. epist. 1.
Synod. Alex. ad Felicem.

omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles: in qua semper ab iis qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.

X.

Quaenam Ecclesiae dignitas est, atque auctoritas?

1. Cor. 12, 28.
Ephes. 5, 25—29.
Joan. 14, 16. 16, 12. 13. 17, 11. 17. sq.
Mat. 28, 20. et 16, 8.
Psalm. 120, 4. 5. sq.

Multis et eximiis sane dotibus, promissionibus ac beneficiis illustrat Deus Ecclesiam suam, qua nil habet in terris charius.

Hanc usque ornat, conservat, defendit, vindicat.

a 1. Tim. 3, 15.
Psalm. 22, 1. 2. sq.
Joan. 10, 16.

Hanc porro constituit esse [a] domum suam, in qua omnes filii Dei foveantur, doceantur et exerceantur.

b 1. Tim. 3, 15.
Aug. lib. 1. contra Crescon. cap. 33. et lib. 2. cap. 32.

Voluit esse [b] columnam et firmamentum veritatis, ut de illius non dubitemus doctrina, quae tanquam magistra, custos et interpres veritatis, fidem atque auctoritatem obtinet inviolabilem.

c Matth. 16, 18. 19.
Ephes. 2, 19.
Psal. 86, 2. et 47, 9.
Aug. in psal. 47.
d Matth. 16, 18. 19.

Praeterea fundatam esse [c] supra firmam petram decrevit, ut certi essemus, eam immobilem inconcussamque stare, atque inferorum etiam [d] portis, hoc est, gravissimis adversariorum impugnationibus, inexpugnabilem praevalere.

e Apoc. 21, 2.
Matth. 5, 14.
Esa. 2, 2. 3.
Mich. 4, 1. sq.
Malach. 1, 11.
Act. 1, 8.
Psalm. 21, 26. 28.
1. Joan. 2, 19.

Demum vult eam sanctissimam quandam [e] esse civitatem supra montem positam, omnibusque conspicuam atque aditu facilem: ne quis, ea relicta, pestiferas Haereticorum speluncas la-

Digitized by Google

tebrasque consectetur, et falsis illis vocibus, *Ecce* [f] *hic est Christus, ecce illic*, forte perculsus, ab ea divertat aut dimoveatur.

Haec est, quam Scriptura nobis proponit atque commendat, Christi [g] amica, soror et sponsa unica: pro qua [h] redimenda, mundanda, sanctificanda, [i] congreganda, et prorsus adjungenda sibi, Filius Dei nihil non fecit ac pertulit, ut corpus etiam sanguinemque suum sacrosanctum illius amore tradere non dubitarit.

Pro hac [k] rogavit et impetravit, ut fides, unitas et firmitudo ejus deficeret nunquam.

Huic [l] promisit fideliterque [m] transmisit et reliquit doctorem, praesidem ac rectorem Spiritum sanctum, *Ille*, [n] inquit, *docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis*; [o] *ille manebit vobiscum in aeternum*: [p] *ille docebit vos omnem veritatem*, quae videlicet scitu crediturque est necessaria.

f Matth. 24, 23. et ibidem Origenes tract. 29. et 30.
g Cantic. 4, 7. et 6, 8.
h Ephes. 5, 26. 27. sq.
i Joan. 11, 51. Col. 1, 18. 24. Ephes. 4, 11. 1, 22. 23.
k Joan. 17, 17. sq. Lucae 22, 31. 32. Matth. 16, 18. 19.
l Joan. 14, 16. 15, 26. 16, 12. 13.
m Act. 2, 4.
n Joan. 14, 16.
o Ibidem 16.
p Joan. 16, 13. Aug. tract. 97. in Joan.

XI.

Per quos tandem nos docet Spiritus in Ecclesia veritatem?

Per eos plane, quos Apostolus testatur a Spiritu sancto, ut Ecclesiam regant, esse constitutos, quales vocat Episcopos, Praepositos, Pastores itidem atque Doctores. Et hi post [a] Apostolos fuere semper, ac etiamnum sunt, primarii Dei Ecclesiaeque ministri,

Act. 20, 28. 1. Tim. 3, 2. sq. Hebr. 13, 17. Ephes. 4, 11. sq. 1. Cor. 12, 28. sq.
a Aug. in psal. 44.

Digitized by Google

b 1. Cor. 4, 1.

et summi [b] dispensatores mysteriorum Dei.

Horum vero auctoritas cum in aliis, tum in sacris [c] Synodis quam maxime cernitur, ubi de fide ac religione illi non modo definire quaedam, sed suo etiam jure, ac pro auctoritate Apostolica contestari possunt, ac dicere: Visum est spiritui sancto et nobis, sicut ex actis constat primi Concilii [d] Hierosolymis celebrati. Certe olim nefas erat, et extremo [e] supplicio expiabatur crimen, si quis judicio summi sacerdotis, qui Moysi regebat [f] cathedram, non obtemperasset. [g] Atqui haudquaquam inferiorem nunc habet Ecclesia, quam tunc Synagoga in regendo, judicando ac decernendo auctoritatem. Quod jus obediendi manebat Judaeis, etiam Christianis incumbit, ut sacerdotum praecellenti dignitate praestantium [h] judicia de his, quae ad Religionem pertinent, recipiantur, approbentur, atque observentur.

Qua propter magno se illi crimine contaminant, qui Magistratibus Ecclesiasticis auctoritatem et obedientiam adeo non deferunt, ut etiam convellere et oppugnare palam audeant, jam quidem sacras summorum Pontificum sanctiones, penes quos de sacris definiendi [k] suprema semper potestas fuit: jam vero venerandas Conciliorum generalium constitutiones, quorum in

c Can. Apost. 38. Concil. Nizaen. et reliq. Sozom. lib. 6. c. 7. Cyrill. epist. 4. Basil. Imperat. in 8. Synod. act. 10. Athan. in epist. ad solit. vitam agentes. Ruff. lib. 1. eccle. histor. cap. 5.

d Act. 15, 28.

e Deut. 17, 8—13.

f Matth. 23, 2-3.

g Cypr. l. 1. epist. 3. ad Corn. et ep. 11. ad Pomponium.

h Greg. l. 1. ep. 24. ad Patriarch. et l. b. 2. Indict. 10. epist. 10. ad Savin. Niceph. lib. 16. hist. cap. 33.

i 3. Conc. Tolet. can. 1. dist. 19. et 9. q. 3. patet et seq.

k Hier. ad Damas. epist. 57. et 58. Chalced. Syn. Act. 3. in epist. ad Leon. 6. Syn. act. 4.

Digitized by Google

Ecclesia, ut [l] Augustinus loquitur, saluberrima est auctoritas: jam demum certas Patrum de Fide sententias, quorum in re una communis sensus atque [m] consensus, firmum est testimonium Christianae veritatis. Illud praeclare dictum est a piis Imperatoribus, [n] Injuriam facit judicio Synodi, si quis semel judicata et recte disposita revolvere, et publice disputare contendit.

l Epist. 118. c. 1. et lib. 1. cont. Donat. c. 18. Gregor. ut supr.

m Vincent. Lir. contra Novat. Aug. lib. 1. et 2. cont. Julian.

n In action. 3. Concil. Chalcedon. Gelasius in epist. ad Episc. Dard. Leo epist. 43. et 50. ad Martian. et 78. ad Leonem Augustum.

XII.

Quorsum vero spectat divina isthaec ordinatio, ut Pastores et Doctores in Ecclesia conserventur?

Non parum utilis ac salutaris est nobis divina haec ordinatio, qua potestas et hierarchia Ecclesiastica Politicos magistratus omnes longe [a] antecellit. Est enim potestas haec spiritualis, qua christianus populus ad Spiritualia aeternaque bona consequenda maxime promovetur.

Prodest in primis, ut Pauli verbis [b] utamur, *ad consummationem sanctorum*, hoc est, ut qui illa potestate funguntur, exhibeant [c] omnem hominem perfectum in Christo, sicut idem Paulus alibi loquitur, suoque studio fideles ad sanctitatis, in quam vocati sunt, [d] perfectionem adducant.

Prodest etiam *in opus ministerii*, ut qui sunt et dicuntur ministri praecipui Ecclesiae, habeant quod [e] vigilent ac curent semper pro concrediti sibi summi muneris ratione.

a Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. item hom. 4. et 5. de verb. Esa. Ignat. ad Smyrnen. Ambr. in exhor. ad virgines et lib. de dignit. sacerdotali, cap. 2.

b Ephes. 4, 11,15.

c Coloss. 1, 28.

d 1. Thess. 4, 7. 2. Timoth. 3, 17. 2. Cor. 13, 11.

e Act. 20, 28. Heb. 13, 17. Cyp. 1. lib. epist. 9. ad Furn. Ephes. 4, 11-15.

Digitized by Google

Prodest praeterea *in aedificationem corporis Christi*, ut norint hi spirituales et sapientes [f] architecti, circa [g] corpus Christi mysticum, quod singularem in aedificando contentionem requirit, continenter sibi esse versandum, ut jam verae fidei fundamenta jaciant ac confirment, jam reliqua fidelibus ad perfectam justitiam necessaria [h] superstruant.

Prodest demum, *ut* [i] *non simus parvuli fluctuantes, ac circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum.* Hoc est propter imbecilliores, qui semper in Ecclesia sunt plurimi, necessarium est munus antistitum ecclesiasticorum, praesertim haeresum ventis ac persecutionum [k] procellis in ecclesiae domum irrumpentibus. Tum enim opus est praesente eorum praesidio, qui pro auctoritate velint et possint [l] arcere lupos, oves defendere, zizania exstirpare, et sana confirmare dogmata, ne simplices alioquin fallacium ac [m] perditorum hominum verbis, scriptis et exemplis a via veritatis regia se ducantur, quin potius ut omnes veritatem non modo cognoscentes, sed etiam facientes, in illo, qui caput est Christus, grandescant atque proficiant, ut idem Paulus [n] adjunxit.

f 1. Cor. 3, 9.
g Ephes. 1, 22. 23. Col. 1, 18. sq. 24. 25. Ephes. 2, 19-21.
h 1. Cor. 3, 12. sq.
i Ephes. 4, 11—15. 1. Cor. 14, 20. Rom. 15, 1. 2. Act. 14, 21. 22. sq. 1. Thess. 4, 1. 2. Ezech. 34, 2—5.
k Matth. 7, 24-27.
l Act. 20, 28. sq. Ezech. 33, 6—9. 2. Tim. 2, 23-26. 4, 2—5. Tit. 1, 7. sq.
m 2. Pet. 2, 1-3. 3, 3. Rom. 16, 17. Jud. 17. 18. sq. Matth. 7, 15.
n Ephes. 4, 11-15.

XIII.

Quo pacto insignes hos fructus consequemur?

Ita nimirum, si non alte, sed sobrie [a] sapiamus, solliciti semper [b] ser-

a Rom. 12, 3.
b Ephes. 4, 3. Joan. 10, 2. 4. 21, 16.

Digitized by Google

vare unitatem Spiritus in vinculo pacis, ut nosmet oves Christi humiles obedientesque praestemus.

Quarum sane ovium illud est proprium, [c] lupos fugere: nec alienos, sed suos Pastores sequi: illis velut ordinariis ovilis Dominici praefectis sese [d] submittere, in illis audire [e] spiritum veritatis.

Is est, qui per [f] malos etiam Praepositos Dominicum gregem docere, pascere et conservare dignatur: quique per eosdem, tum Dei Patris, tum Ecclesiae Matris praecepta nobis his verbis commendat: [g] *Audi fili mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae.* Et rursus idem inculcans: *Conserva,* [h] inquit, *fili mi praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae.*

c Joan. 10, 2—4. Tit. 3, 1. Heb. 13, 17. Matth. 10, 20.
d Bern. de praecep. et dispens.
e Joan. 15, 26. 14. 16. 17. et 16, 13.
f Matth. 23, 2.3. sq. Philip. 1, 15-17. Joan. 12, 51. Matth. 18, 17. Deut. 17, 8—13.
g Prov. 1, 8. Epiph. haere. 75.
h Proverb. 6, 20.

XIV.

Quae sunt praecepta Ecclesiae?

Praecipua quinque numerantur, cuique Christiano et scitu et observatu certe necessaria.

1. [a] *Statutos Ecclesiae festos dies celebrato.*
2. [b] *Sacrum Missae officium diebus festis reverenter audito.*
3. [c] *Jejunia certis diebus, temporibusque indicta observato,* ut in Quadragesima, quatuor anni temporibus, et festorum quorundam sollemnium pridianis diebus, quos majores nostri, quod iis-

a Conc. Lug. apud Ivonem. p. 4. c. 14. 2. Matis. can. 1. Mogunt. can. 36. et 37. Trib. can. 35. Ignat. ad Phil.
b Conc. Agath. c. 47. et 21. Trid. can. 35. Item 1. Aure. c. 28.
c Can. Apost. 68. Gangren. can. 19. Ignat. ad Philipp. Mogunt. can. 34. et 35. Salegunt. can. 1. et 2. Bern. in Vigilia S. Andreae. Vide Burchard. lib. 13. et Ivonem p. 4.

Digitized by Google

dem temporibus in templis noctu pervigilaretur, Vigilias [d] appellarunt.

4. [e] *Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitetor.*

5. [f] *Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschae, sumito.*

d Tert. lib. 2. ad uxorem et in Apologet. cap. 2.
e Synod. Lateranen. can. 21. Trid. sess. 14. can. 8.
f Lateranen. et Trid. sess. 13. can. 9.

XV.

Quem fructum adfert horum praeceptorum observatio?

Haec et ejuscemodi reliqua Ecclesiae tum instituta, tum praecepta, tot seculis recepta, magnoque piorum consensu et usu confirmata, pietati atque rationi valde consentanea, insignes secum adferunt commoditates.

Sunt enim fidei, humilitatis et obedientiae Christianae salutaria exercitia: honestam [a] disciplinam et concordiam popularem promovent: Religionis pulchra existunt symbola: notas praebent demum, et indicia interioris nostrae pietatis, quibus ad [b] aedificationem et bonis collucere, et malis praelucere oporteat.

Breviter haec eo nos promovent, ut Apostolicus ille Canon, [c] *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis*, ad unguem observetur.

a Philip. 4, 8. 1. Cor. 14, 26—29. sq. 40.
b Matth. 5, 16. Rom. 15, 2. Phil. 2, 3. 4. 14. 15.
c 1. Cor. 14, 40.

XVI.

Ubi necessaria est nobis Ecclesiae auctoritas?

Primum in eo quidem, ut scripturas canonicas et veras ab adulterinis

Digitized by Google

certo [a] discernamus. Unde testatur Hieronymus: [b] Novum et vetus testamentum recipimus in eo librorum numero, quem sanctae Ecclesiae Catholicae tradit Auctoritas. Et [c] Augustinus: Ego vero, inquit, Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoverat auctoritas.

Deinde, ut constet de vero scripturae [d] sensu et apta interpretatione: ne alioquin sine fine dubitemus ac disceptemus de verborum sententia. Omnes enim Haeretici, ut scripsit idem [e] Augustinus, ex sacris Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conantur defendere. Atqui non in legendo, sed in intelligendo Scripturae consistunt, Hieronymo [f] teste.

Tertio, ut in gravioribus de fide quaestionibus atque [g] controversiis, quae possunt incidere, judex [h] adsit, atque legitima illius auctoritas interponatur. Ut enim verissimum est, quod contra Haereticos docet [i] Epiphanius, a divina scriptura non posse accipi omnia: ita rectissime [k] Augustinus illud affirmat; Palam est, quod in re dubia ad fidem et certitudinem plurimum valeat auctoritas Ecclesiae Catholicae. Non enim deesse potest Ecclesiae Spiritus, qui ipsam in omnem ducat veritatem, sicut Christus [l] ipse promisit.

Rursus, ut pro ratione personarum, locorum et temporum canones [m] con-

a Gal. 2. 1. 2. 1. Tol. can. 21. Aug. serm. 120. de temp. idem lib. 15. contra Faustum c. 4. et Item. lib. 28. c. 2. et 4.
b In sym. ad Damasum et Aug. ser. 191. de tempore. Conc. Laod. can. 59. Con. 3. Car. cap. 47. Conc. Trid. sess. 4.
c Contra epist. Manich. cap. 5.
d Esa. 59. 21. Aug. lib. 1. c. 33. cont. Crescon. Trident. sess. 4. Vincent. Lirinen. cont. Novatores.
e Lib. 1. de Tri. c. 3. Hilar. lib. 2. ad Constantium. Vincentius Lirinensis.
f Contra Luciferianos et in cap. 1. ad Galat. Hil. 2. de Trin.
g Deut. 17. 8-13.
h Act. 15. 28.
i Haeresi 61. cont. Apostolicos.
k Lib. 11. cont. Faustum, c. 2. et lib. 7. cont. Donat. c. 53. Item in Psalm. 57.
l Joan. 14. 16. 16. 12. 13.
m Can. Apost. et Synod. 1. Nic. can. 5. Later. cap. 6.

Digitized by Google

stituantur, disciplina integra conservetur, ac jura dicantur. Dedit enim hanc potestatem Deus Ecclesiae [n] ad aedificationem, et non ad destructionem.

n Cor. 10, 8. sq. 13, 10.

Praeterea, ut quam [o] Christus instituit coërcendi et excommunicandi potestatem, qua Paulus * etiam est usus, pervicaces sentiant, ipsaque corrigantur et comprimantur. Hinc [p] Augustinus: Eis, inquit, per quos Ecclesia regitur, adest salva pace potestas disciplinae adversus improbos aut nefarios exercendae.

o Matth. 18, 15-17. et ibid. Hieron.

* 1. Cor. 5, 3. 4. sq. 1. Timoth. 1, 19. 20.

p Lib. de fide et operib. cap. 5. Item lib. 3. contra Parmen. cap. 2. Greg. hom. 26. in Evang. Chrys. lib. 3. de sacerd.

Igitur in his omnibus, ut caetera omittamus, Ecclesiae auctoritatem non solum utilem, sed etiam necessariam esse constat, ut sine illa quidem nihil aliud Christiana Respublica, quam confusio Babylonica possit existimari. Proinde sicut scripturae propter testimonium divini Spiritus in illa [q] loquentis credimus, adhaeremus, ac tribuimus maximam auctoritatem: sic Ecclesiae fidem, reverentiam, obedientiamque debemus, quod eo ipso [r] Spiritu a Christo capite, sponsoque suo informata, dotata simul et confirmata sit, ut non possit non esse quod dicitur, [s] *columna et firmamentum veritatis.*

q 2. Petri 1, 19-21. 2. Timoth. 3, 16. Matth. 18, 17. Joan. 14, 16. et 16, 12. 13.

r Act. 2, 1—4. Ephes. 4, 4. sq.

s 1. Tim. 3, 15.

XVII.

Quis est doctrinae totius de Ecclesiae praeceptis et traditionibus usus ac fructus?

Ingens profecto est ac varius. At, que primus quidem, ut intelligamus

Digitized by Google

non solis litteris seu scripturis divinis, minime alligari. Quid enim (ut Irenaei [a] verbis utamur) si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Itaque luculenter dixit [b] Basilius: Dogmata, quae in Ecclesia servantur ac praedicantur, quaedam habemus e doctrina scripto prodita, quaedam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita, recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem: nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quae sunt jura Ecclesiastica.

a Lib. 3. cap. 4. Epiph. haeres. 61.

b Lib. de Spiritu sancto, cap. 26.

Neque dubium esse potest, quin Christus [c] et Apostoli multa tum egerint, tum docuerint, quae etsi scripta quidem non sint, ad nos tamen posterosque maxime pertineant. De quibus generatim [d] Paulus admonens: *De caetero Fratres*, inquit, *quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae; si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. Quae et didicistis et accepistis, et audistis et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum.*

c Joan. 20, 30. et 21, 25. Aug. epist. 108, ad Seleucianam.

d Philip. 4, 8. 9.

Proximus est, recte uti Christiana libertate, quam homines otio luxuque capti, si unquam alias, nunc maxime

Digitized by Google

dant in occasionem carnis, ut Apostolus [e] loquitur: illius praetextu, foedis voluptatibus inserviunt, et quicquid fere libet, etiam circa Religionis instituta mutanda, id licere sibi arbitrantur. Atqui ab ista profana novitate ac temeritate nos revocant, tuentur, deterrent Apostolica et Ecclesiastica dogmata simul et instituta: quae froenum injiciunt humanae licentiae, docentque convenienter uti Christiana libertate: ita nimirum, ut nos a [f] jugo peccati et a servitute veteris legis per Christum liberi effecti, [g] ultro libenterque praestemus Christianum officium, serviamus Deo in justitia et sanctitate, ducem sequamur Spiritum in lege charitatis, justitiae servi, obedientiae filii, humilitatis cultores, patientiae custodes, poenitentiae et crucis amatores. *Vos*, inquit [h] Apostolus, *in libertatem vocati estis Fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem.* Ad quam Spiritus charitatem sanctae servitutis obsequio et alendam, et conservandam cum honesta cuncta prosunt, tum ingens pondus adferunt pie observatae Ecclesiae Traditiones. Postremus est, ut verum inter legitimos et notos Ecclesiae filios, seu inter Catholicos et Haereticos discrimen inde accipiamus. [i] Illi enim simpliciter in doctrina Ecclesiae sive scripto ea, nempe Biblicis litteris tradita sit, sive Pa-

e Galat. 5, 13. 2. Pet. 2, 19. Rom. 6, 18—22.

Aug. epist. 118.

f 1. Pet. 1, 18. Galat. 3, 13. et 4, 31. Rom. 8, 2.

g Psalm. 53, 8. Coloss. 3, 23. 24. Lucae 1, 74. 75. 2. Cor. 3, 17. Rom. 6, 18. 22. 1. Cor. 9, 19. 1. Pet. 1, 22. 2, 20. Lucae 21, 19. Matth. 4, 17. et 16, 24.

h Galat. 5, 13.

i Vincentius Lirinensis.

Digitized by Google

trum traditione comprobata, acquiescunt. Sequuntur enim verbum Dei: [k] *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Hi vero, qui sunt Haeretici, ab hac simplicitate fidei, et a venerandae matris Ecclesiae, sanctorumque Patrum probata sententia discedunt, nimiumque sibi, vel desertoribus Ecclesiae fidunt, adeoque ne moniti quidem resipiscunt. Quare Paulus de iis tam serio sanxit, dum ait; [l] *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est.* Atqui ut cum [m] Cypriano concludamus, quisquis ab Ecclesiae unitate discesserit, cum Haereticis necesse est inveniatur.

k Proverb. 22, 28. Eccles. 8, 11. 12. Deut. 32, 7. Hierem. 6, 16.

l Tit. 3, 10.

m Ad Pompejum.

XVIII.

Quae demum est summa omnium superiorum?

Quae a principio quidem huc usque tractata sunt de summa Christianae doctrinae, eo spectant, ut vera Christiani hominis Sapientia constituatur: quae tribus illis [a] virtutibus: [b] Fide, Spe et Charitate comprehenditur. Et Fide quidem veritati Dei firmiter [c] assentitur, eique inititur anima. Spe autem propius [d] adhuc apprehendit bonitatem Dei, Fide jam cognitam atque conceptam; Charitate [e] demum Deo proximoque propter Deum conjungitur et unitur.

a Aug. lib. 2. Retract. cap. 63.
b 1. Cor. 13, 13. 2. Tim. 2, 22.
c Hebr. 11, 1.
d Galat. 5, 5. 6.
e Rom. 8, 38. 39. Joan. 14, 21. Rom. 13, 8.

Caeterum de Fide nos docet Symbolum Apostolicum, dum ea propo-

Digitized by Google

nit, quae maxime sunt credenda et profitenda Christiano. De his vero quae speranda et desideranda, precatio nos instituit Dominica. Ad Charitatem porro spectant, quae duabus tabulis Decalogus exhibet.

Aug. in Enchiridio. cap. 7.

Praeclare igitur [f] Origenes: Puto, inquit, quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta Fides est: profectus vero et augmenta aedificii Spes: perfectio autem et culmen totius operis Charitas.

f In cap. 4. Epist. ad Roman.

Illi ergo beati, qui audiunt [g] et custodiunt verbum Dei, quique voluntatem Patris cognoscunt et faciunt, in Fide, Spe et Charitate, duce Christo, ambulantes et perseverantes.

g Lucae 11, 28. Rom. 2, 13. Lucae 6, 46. 48. sq. Matth. 7, 21. 22. 24. sq. 19, 17. 25, 35. sq. Joan. 15, 2. Matth. 10, 22. et 24, 13.

Et hactenus pro instituti quidem nostri ratione, satis de summis illis virtutibus: quae cum divinitus infundantur, ac divinos mortales faciant, jure quidem Theologicae nuncupantur, recteque ad sapientiam Christianam referuntur.

XIX.

Anne aliud quicquam ad doctrinam Christianam spectat?

Etiam: huc enim plane spectat doctrina de Sacramentis, ut norint Christiani, quibus veluti instrumentis divinitus institutis habeant opus [a] ad Fidem, Spem, et praecipue Charitatem accipiendam, exercendam, augendam, conservandam, ac etiam reparandam.

a Aug. in Joan. tractatu 120.

Digitized by Google

Adde, quod neque Sapientia, neque Justitia Christiana constitui ac retineri absque Sacramentis potest, ut sine quibus [b] Religionem universam extingui prorsus necesse sit. Habent igitur ea sublimem in doctrina Christiana locum, et necessariam quoque tractationem.

b Aug. lib. 19. cont. Faustum cap. 11. et de vera relig. c. 17. Item epist. 118. c. 1.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

DE SACRAMENTIS.

I.

Cur de Sacramentis docendi sunt Christiani?

Quia Sacramentorum cognitio et usus facit, ut illi accepta ex Iesu Christi meritis gratia, quae per [a] Sacramenta ipsa confertur, legitime exerceantur et conserventur, atque promoveantur in divino cultu.

a Tit. 3, 5. Joan. 3, 3. et 20, 22. 23.

II.

Quid et quotuplex est cultus divinus?

Cultus divinus dicitur, quem Christianus tamquam praecipuum ac [a] summum obsequium debet ac praestat creatori ac Salvatori suo Deo Opt. Max.

a Aug. lib. 10. de civitate Dei, cap. 1.

Neque enim est dubium, hominem ea potissimum [b] causa, ut Deum pure integreque colat, et initio conditum, et postea redemptum, atque ad id omnino destinatum esse.

b Proverb. 16, 4. Gen. 1, 26. 27. 2. Cor. 5, 15. 1. Thess. 5, 9. 1. Pet. 3, 9.

Divinus autem cultus est duplex: interior et exterior. Interior, quo per intellectum et affectum Deo [c] conjungimur, Fide, Spe et Charitate, ut antea dictum est, perficitur. Exterior est professio quaedam cultus interioris,

c Aug. in Enchiridio cap. 2. et 3.

Digitized by Google

quem [d] externis quibusdam et visibilibus signis ritibusque declaramus. Deus enim, qui bonorum nostrorum [e] non eget, quippe beatus per se totusque perfectus, tamen sicut totum ipse hominem tum corpore, tum animo constare voluit, sic eundem [f] quoque totum, hoc est, secundum omnem sui partem reposcit, a quo sincere studioseque colatur: anima quidem secundum interiorem, uti docuimus, corpore [g] vero secundum exteriorem cultum cum interiore conjunctum: quod multis sane modis, sed vel maxime et saluberrime per usum Sacramentorum praestatur.

Sic enim divinae visum est sapientiae, mortalium se imbecillitati accommodare, suamque virtutem per quasdam [h] externas res et signa, quae sensibus percipiuntur, exercere. Animus quippe noster immortalis, in hoc obscuro et caduco corpore velut carcere quodam inclusus, sensuum ministerio plurimum utitur, neque citra [i] hoc adminiculum ad divina capessenda solet assurgere. Itaque tum in veteri, tum in nova lege Sacramenta multaque ad cultum externum pertinentia instituit Deus, ac Dei populus semper observavit.

d Matth. 5, 16. Rom. 12, 17. 1. Cor. 14, 40.
e Psalm. 15, 2. 1. Tim. 6, 15. 16. Matth. 5, 48. Gen. 2, 7.
f Prov. 16, 4. Lucae 10, 27. Matth. 22, 37.
g 1. Cor. 6, 19. Psalm. 83, 3.
h Aug. in Psal. 73. et lib. 19. contra Faust. c. 11. Item lib. 3. de doct. Christ. c. 9. quaest. 84. super Levit. et 33. sup. Numeros. Tertull. de resurrect. carnis. Gregor. in 1. Reg. lib. 6. cap. 3.
i Chrys. hom. 60. ad popul. Antioch.

III.

Quid est Sacramentum?

Est [a] divinae et invisibilis gratiae externum et visibile signum, a Christo

a Bernard. serm. de Coena Dom. Aug. lib. 10 de civit. Dei, cap. 5. et lib. 3. de doctrina Christ. cap. 9.

Digitized by Google

institutum, ut per id quisque Dei gratiam accipiat, atque sanctificationem.

Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4. Concil. Florent. et Trident. sess. 7.

Quare non quaevis signa sunt, quae Ecclesiae Sacramenta dicuntur: sed certa, sacrosancta et efficacia signa, Christianis ex divina institutione et promissione commendata.

Signa [b] quidem idcirco, quoniam externa quadam specie et similitudine id nobis referunt et declarant, quod per ipsa Deus nobiscum invisibiliter atque spiritualiter agit.

b Aug. epist. 23. et de catechizandis rudibus cap. 26.

Certa [c] vero, sacrosancta simul et efficacia signa, quoniam indubie quam gratiam significant, etiam continent, conferuntque ad nostram sanctificationem. Sacramenta enim, quantum in se est, (ut [d] Cyprianus loquitur) sine propria esse virtute non possunt; nec ullo modo divina se absentat Majestas mysteriis, quamvis etiam ab indignis [e] administrentur.

c Aug. in Psal. 73. et 77. et lib. 19. contra Faustum, cap. 11. 13. et 16.

d Serm. de Coena Domini.

e Aug. lib. 3. contra Donatist. cap. 10. et lib. 5. cap. 19.

Ut exempli causa, in Sacramento Baptismi exterior ablutio, quae sordes corporis purgat, efficax est symbolum [f] interioris ablutionis, utpote testimonium praebens indubitatum, quod spiritualiter anima purificetur. Sic res aliae visibiles et externae, ut oleum, panis vinique species, quarum in Sacramentis necessarius est usus, apte nobis constituuntur, tum ad significandum, tum ad conferendum homini divinam gratiam, animaeque salu-

f Tit. 3, 5. 6. Rom. 6, 4. 7. 1. Cor. 6, 9—11. Tertull. in lib. de resur. carnis.

Digitized by Google

tem, modo ad haec non indigne [g] accedatur.

Per Baptismum [h] etenim regeneramur et renovamur: per Confirmationem augemur et roboramur: per Eucharistiam nutrimur et reficimur: Per Poenitentiam restituimur et sanamur in vita spirituali: in qua per reliqua itidem Sacramenta, pro sua cujusque ratione juvamur, atque provehimur, ut suo deinde loco aperiemus.

g Prosper sent. 69. ex August. in Psal. 142.

h Concil. Florent. Joan. 3, 3. Tit. 3, 5. 6. Act. 8, 14-17. 1, 8. Luc. 24, 49. Joan. 6, 51. 55. 56. Joan. 20, 23.

IV.

Quibus partibus constat unumquodque Sacramentum?

Verbo [a] et elemento. Per Verbum hic intellige certa quaedam et determinata verba, in quibus ipsa consistit forma, quam vocant Sacramenti. Per Elementum accipe res externas, quae vera materia sunt Sacramentorum, ut aqua, oleum, panis, vinum et ejusmodi.

Jam his partibus perfecte sumptis adjunguntur reliqua, quae ad cujusque Sacramenti tum idoneam collationem, tum dignam susceptionem spectant, videlicet institutio divina, [b] minister idoneus, intentio recta in ministro, Fides in suscipiente, et si quae sunt hujus generis alia.

a Concil. Florent. August. tractat. 80. in Joan.

b Trid. Synod. sess. 7. canon. 10. et 11. de Sacramentis in genere. Item Florentina.

V.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, [a] quae a Christo per Apostolos accepta conservavit, ac fide-

a Conc. Florentin. Constantien. sess. 15. et Trid. sess. 7. can. 1.

Digitized by Google

liter dispensavit hucusque Christi [b] sponsa, et columna veritatis, Ecclesia. Sunt autem haec: [c] Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.

Nec refert sane, si ejusmodi vocabula in Scripturis non extent omnia, modo de re ipsa constet, ac Sacramentorum veritas et virtus divinis testimoniis approbetur. Quamquam [d] ea, quae universalis Ecclesia ex Apostolorum traditione retinet, atque conservanda commendat, etiam si in scriptura divina non reperiantur, plenam apud nos fidem, ut antea docuimus, habere merentur. Ac de singulorum quidem Sacramentorum institutione postea suo loco.

Vis autem eorum, ut fidissimus Scripturae interpres Augustinus [e] inquit, inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. Atque ut idem alibi [f] docet, contemptor visibilis sacramenti, invisibiliter sanctificari nullo modo potest.

VI.

Quare instituta sunt Sacramenta?

Primum, ut sint praesentissima remedia contra peccatum, quod lethalis est [a] animae morbus, ac nisi hoc tempore curetur, perpetuam adfert damnationem. Quamobrem haec [b] longe

b Cantic. 4, 9. 1. Tim. 3, 15.

c Matth. 28, 19. Act. 8, 17. Matth. 26, 26-28. Joan. 20, 22. 23. Jac. 5, 14. 15. 1. Tim. 4, 14. Ephes. 5, 32.

d Aug. lib. 4. cont. Don. cap. 24. et lib. 2. c. 7. lib. 5. c. 23. Item ep. 118. cap. 1. Chrys. in 2. ad Thess. hom. 4.

e Lib. 19. contra Faustum, cap. 11. et 16. Item tract. 80. in Joannem.

f Super Leviticum quaest. 84. et lib. 32. contra Faust. cap. 14.

a Sap. 16, 14. Eccli. 21, 2. Rom. 6, 23.

b Florent. Concil. Trid. sess. 7.

Digitized by Google

praestant legis antiquae Sacramentis, virtute utique majora: utilitate meliora, numero paucioria, intellectu augustiora, observatione faciliora, significatione praestantiora, quae praeterquam quod significant, etiam sanctificant, ac salutem dant: ut e Scripturis Augustinus [c] optime colligit.

Secundo, ut habeamus certa efficaciaque signa divinae erga nos gratiae et voluntatis, quae dum in sensus externos incurrunt, non solum excitant fidem in Christum, Deique [d] misericordiam et bonitatem, verum etiam vivifica sunt instrumenta, per quae visum est Deo [e] salutem nostram efficaciter operari. Ut praeclare dictum sit [f] jam olim, per seipsum quoque Sacramentum multum valere.

Tertio, ut [g] extent velut symbola et externae notae Christianae professionis, quibus Dei et Ecclesiae filii se mutuo agnoscant: utque in unione, humilitate et obedientia se fructuose exerceant et contineant, atque ita unius religionis necessariis quasi nexibus et foederibus inter se invicem maneant colligati. Alioquin sine Sacramentis nec constare, nec discerni satis ulla Religio potest.

c Lib. 19. cont. Faustum, cap. 33. Et lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. Item Epist. 118. c. 1.

d Rom. 9, 23.

e Tit. 3, 5. Joan. 6, 51. et 20, 23.

f Aug. lib. 4. contra Donatist. cap. 24.

g Idem lib. 19. cont. Faustum cap. 11. et cap. 17. de vera Religione. Basil. hom. 13. in exhortatione ad Baptismum.

VII.

Quid vero sentiendum de Sacramentorum ministris?

Ita plane sentiendum est de illis, tanquam [a] ministris Christi et di-

a 1. Cor. 4, 1.

Digitized by Google

spensatoribus mysteriorum Dei, qui [b] portant vasa Domini, tabernaculoque deserviunt, qui et sacris ex professo praesunt, eaque jure quodam administrant. Non enim omnibus [c] indifferenter, sed sacerdotibus et Episcopis incumbit, ac divinitus injunctum est, Sacramenta conficere, dispensare vel administrare.

At ne putemus unquam, ex vita et probitate ministrorum [d] Sacramenta pendere, hanc nobis regulam praescribit [e] Augustinus: Non ideo veriora et sanctiora sunt Sacramenta, quia per meliorem ministrantur: illa namque per se ipsa vera et sancta sunt, propter verum et sanctum Deum, cujus sunt. Et rursus: [f] Memento Sacramentis Dei obesse nihil mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. Suffragatur his [g] Ambrosii illa sententia: Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum: puta in administratione Sacramentorum. Nam et per [h] indignos consuevit Deus operari, et nihil propter sacerdotis vitam Sacramenti gratia laeditur, Chrysostomo [i] teste.

b Esa. 52, 11. Num. 1, 50. 3. Reg. 8, 4.

c Num. 16, 3. sq. 2. Reg. 6, 6. 2. Par. 26, 16-21. Concil. Nicaenum cap. 14. Trident. sess. 7. de Sacrament. in genere.

d 1. Cor. 1, 13. 3, 6. 5. Conc. Trident. de Sacr. can. 12.

e Contra Cresc. lib. 4. cap. 20. et lib. 4. cont. Donatist. c. 4.

f Cont. litteras Petiliani. lib. 2. c. 47. Idem tractatu 5. in Evang. Joan.

g De his qui mysteriis initiantur. c. 5.

h Joan. 11, 49-51. Matth. 23, 23.

i Homil. 8. in 1. Corinth.

VIII.

Quid judicandum de Caeremoniis, praecipue quarum sollemnis est usus in Sacramentis?

Caeremoniae ab ecclesia probatae, ritus [a] quidam sunt externi, religiose ac decenter instituti: Primum, ut

a Joan. 9, 6. 7. 11, 33. 38. 41. 43. 20, 22. 23. Luc. 24, 50. Marc. 7, 32. 33. sq. 8, 22. sq. Matth. 8, 3. 14. 19.

Digitized by Google

signa, testimonia et exercitia sint cultus interioris, quem [b] Deus inprimis requirit.

b Joan. 4, 23. 24. Matth. 15, 8. Esai. 1, 14. 15.

Deinde, ut viva extent Religionis incitamenta, quibus fragilitas humana [c] ceu adminiculis fulciatur, et ad sacra mysteria tum capessenda, tum retinenda veluti manu ducatur.

Postremo, ut quae ad cultum divinum promovendum, et ad disciplinam [c] concordiamque conservandam publicam pertinent, honeste ac decenti quodam [d] ordine, sicuti Apostolus jubet, in Ecclesia peragantur.

c Leo epist. 81. ad Diosco. Innocent. ad Decentium Eugubi. ep. 1. Conc. 4. Tol. can. 2.
d 1. Cor. 14, 40. Philip. 4, 5. 8.

Eae vero caeremoniae, quarum est usus in Sacramentorum administratione, quasque veluti per manus traditas et commendatas nobis [e] a Patribus [f] accepimus, ingenti praecipue studio retineri et observari debent. Nam praeterquam quod decorem illae Sacramentis afferunt, et reverentiam quandam conciliant, singulari quoque [g] antiquitatis commendatione nobis sunt venerandae.

e Hierem. 6, 16. Proverb. 22, 28.
f Basil. de Spiritu sancto, cap. 27. Trid. Conc. can. 13. de Sacrament.
g Tertul. de corona militis. Dionys. de Eccles. Hierar. per totum.

Tum praeter institutionem vetustissimam et Apostolicam, habent fecunditatem mysteriorum gravitate atque dignitate plenam, ut sanctissimi doctissimique [h] Patres annotarunt. De his demum aliisque id genus, praeclare ita [i] Damascenus: Quae Christiana religio erroris nescia, suscipit, et in tot secula servat inconcussa, minime vana

h Ambr. de initiandis myst. Aug. et alii passim. Vide Isidorum de offic. Eccles. et plures alios.
i In ser. de defunct.

Digitized by Google

sunt, sed utilia, Deo placita, salutique nostrae conducibilia plurimum.

Rident interim Sectarii caeremonias, quae Sacramentis adhibentur: sed ipsi magis ridendi, aut potius deplorandi, quod caeco judicio et hostili odio (pessimis consultoribus) freti, adversus veritatem clarissimam bellum gerant. Certe de Baptismi caeremoniis vel antiquissimi Theologi nobis testantur, [k] Dionysius, [l] Clemens, [m] Tertullianus, [n] Origenes, [o] Cyprianus, [p] Basilius, [q] Chrysostomus, [r] Cyrillus.

Nugentur licet ac blasphement impii: magno quidem Patres illi consensu commendant Abrenuntiationem, Exorcismos, Aquam benedictam, sacrum Chrisma, Crucis signaculum. Ante annos bis sexcentos fere scripsit Basilius [s] in hunc modum: Consecramus aquam Baptismatis, et Oleum unctionis, et praeterea eum, qui Baptismum accipit.

Verum de Caeremoniis, quae Sacramentis omnibus adjunguntur, sigillatim admonere, ut longum est, ita difficile, et huic quidem instituo haud necessarium. Quin et aperte fatetur Origenes, [t] in Ecclesiasticis hujusmodi observationibus esse nonnulla, quae omnibus quidem facere necesse sit; rationem autem eorum, cur ita fiant, nondum satis esse compertam.

k Dionys. c. 2. Eccl. hierar.
l Clem. epist. 3.
m Tert. de cor. milit. cap. 3.
n Origen. hom. 12. in Nume.
o Cyp. lib. 1. ep. 12.
p Basil. de Spiritu sancto, cap. 27.
q Chrys. homil. de Adam et Eva.
r Cyr. Hierosol. Catec. 1. 2. 3. et 4. mystagog.
s Basil. ibid. Vide Raban. de institut. cler. lib. 1. c. 27. et Isid. lib. 2. de offic. eccl. cap. 20.
Amb. l. 1. 2. et 3. de Sacram. et de iis qui myst. initiantur.
Aug. lib. 1. de nupt. c. 20. et lib. 2. cap. 18. et 29.
t Hom. 5. in Numeros. Item Dionys. cap. 1. et ult. Eccle. hierarch. et Aug. l. 3. de doctr. Christ. cap. 9.

Digitized by Google

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

I.

Quid est Baptismus, et an cunctis necessarius?

Est hoc novae legis primum et maxime necessarium Sacramentum, in ablutione corporis exteriore, et legitima verborum enuntiatione, juxta Christi institutionem, consistens.

Necessarium inquam Sacramentum non solum [a] adultis, sed etiam [b] parvulis, ac simul eis efficax ad salutem aeternam consequendam. Nascuntur omnes irae [c] filii: opus igitur habent etiam parvuli emundatione peccati, nec possunt absque [d] hoc Sacramento mundari, et in filios Dei regenerari. Nam et generatim Legislator edixit: [e] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Alibi vero: [f] *Non est voluntas ante Patrem, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Perirent [g] autem non baptizati etiam parvuli, sicut olim in Synagoga Hebraeorum pueri [h] incircumcisi.

Jam cum sit unum [i] Baptisma Christi fidelium, hoc semel acceptum, nefarium [k] est prorsus iterare, quicquid demum praetexant jam olim [l] damnati Anabaptistae. Cum Synodo Constantinopolitana dicendum est: Confiteor [m] unum baptisma in remissionem pecca-

Act. 2, 38.
Marc. 16, 16.
Joan. 3, 22. 4, 2.
Tit. 3, 5.
Matth. 28, 19.
Ephes. 5, 25. 26.
1. Pet. 3, 20. 21.
a Trid. sess. 6. c. 4. et sess. 7. can. 5. de baptismo.
Aug. tract. 13. in Jo.
Amb. de myst. init. c. 4. Clemens epi. 4. ad Julium.
b Conc. Lateran. c. 1. et Milevit. can. 2.
Dionys. Eccl. hier. cap. 7.
Cyprian. l. 3. ep. 8.
Chrysost. hom. de Adam et Eva.
c Ephes. 2, 3.
Trident. sess. 5.
d Aug. ep. 28. et lib. 3. de anima et ejus orig. c. 9. Item lib. 1. de pec. mer. c. 25.
e Joan. 3, 5.
Aug. l. 3. de pec. mer. cap. 4. et 12.
f Matth. 18, 14.
Bern. ser. 66. in cantic. et ep. 240. ad Hildefons.
g Aug. de nup. et concup. lib. 1. cap. 20. et lib. 2. c. 17.
Item ser. 14. de verbis Apostol.
h Genes. 17, 14.
i Ephes. 4, 5.
Basil. de Spir. sanct. cap. 15.
k Heb. 6, 4—6.
Clem. const. Apost. lib. 6. cap. 15.
Damasc. l. 4. c. 10.

l In Conc. Carth. 1. can. 1. et Vien. Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. et 13. de Bapt. Aug. tract. 11. in Jo. Beda in 3. c. Joan. *m* In Sym. fidei.

Digitized by Google

catorum. Et cum Augustino: [n] Rebaptizare haereticum hominem, omnino peccatum est: rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est: quod idcirco Caesareis etiam [o] legibus prohibetur.

n Epist. 203. et in lib. de unico bapt. cont. Pet. cap. 13.
Leo epist. 79. ad Nicetam. et 37. ad Leonem Raven.
o C. l. 1. Ne sanctum bapt. iteret.

II.

Quae circa hoc Sacramentum praecipue sunt notanda?

Elementum abluens, ejusque significatio, verbum, minister, et effectus Baptismi.

Elementum est [a] aqua simplex, materia ad hoc necessaria, quae natura sua sordes corporis abluere solet. Cui haec pulchre respondet significatio, Baptismo animam [b] emundari peccatis, et hominem, uti dicemus, justum effici.

Verbum, quo [c] Sacramenti forma consistit, ex Christi praecepto sic habet: [d] *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Et quanquam sit Sacerdotum munus, baptismum administrare, tamen, ubi necessitas vehementer urget, baptizare possunt alii [e] quoque, ne impiis quidem et haereticis exceptis, modo a forma Ecclesiae et ejus verbis conceptis non recedatur.

a Joan. 3, 5. — Eph. 5, 26. — Act. 8, 36. 10, 47.
Conc. Trid. can. 2. de Bapt. et Florent.
Chrys. hom. 24. in Joan.
b Tit. 3, 5. — Act. 2, 38. — 1. Cor. 6, 11.
c Concil. Lateran. et Forent.
Aug. lib. 6. cont. Donat. cap. 25.
Didymus lib. 2. de Spiritu Sanct.
d Matth. 28, 19.
Symb. de iis qui myst. init. cap. 4.
e Aug. cont. Parmenia l. 2. c. 13. Et de unic. bapt. cap. 9. cont. Donat. lib. 3. c. 15. et l. 7. c. 53.
Hilar. in Psal. 67.
Conc. Lateran. c. 1. Florent. et Trident. can. 4. de Bapt.

III.

Quem fructum et effectum praestat Baptismus?

Eum plane, quem docente Christo, [a] ac testibus Apostolis Petro et Paulo discimus, nimirum per Baptis-

a Marc. 16, 16.
Act. 2, 38. 22, 16.
1. Pet. 3, 20. 21.
Ezech. 36, 25. 26. sq.
Cor. 6, 11.
Rom. 6, 3. 4. sq.

Digitized by Google

mum et peccata remitti, et Spiritum dari, quo et vetus homo aboleatur, et nova fiat in Christo creatura. Quippe susceptus rite Baptismus non hoc modo largitur, ut impio plene peccata omnia condonentur atque tollantur, sed etiam ut baptizatus plane innovetur, ac vere innocens, justus, sanctus et coelesti gloria dignus in Christo efficiatur. Ut jure a Paulo dictum sit omnibus baptizatis: [b] *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri.* Atque alibi testatur [c] idem, Baptismum esse lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti: [d] Lavacrum etiam aquae in verbo vitae. Et rursus illi scribit: [e] *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Scite [f] Bernardus, ac breviter Sacramenti hujus effectus praecipuos complectitur: Lavamur in Baptismo, inquit, quia deletur chirographum damnationis nostrae, et gratia haec nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen a consensu abstineamus.

Quae [g] concupiscentia in renatis manens, non per se peccatum est, sed ut Theologi appellant, fomes peccati, ad agonem relictus, ut baptizati hac occasione vigilantius Dei gratiam quaerant, virtutes studiosius exerceant,

Bas. hom. 13. in exhort. ad bapt. lib. de Spiritu S. c. 15. Aug. l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 13. et lib. 3. c. 3. In Enchi. c. 64.
Beda in c. 3. Joan.
Damas. lib. 4. c. 10.
Greg. lib. 9. ep. 39.
Hieron. ad Ocean.
Nazian. in sanct. Lavacrum.
Clem. Alex. lib. 1. paedag. cap. 6.
Chrys. ad Neoph. et ad baptizandos.
b 1. Cor. 6, 11.
Amb lib. 1. de Sacr. c. 4. conc. Florent. et Trid. sess. 5. c. 5.
c Tit. 3, 5.
Aug. epi. 23. quaest. 33. super Num. lib. 4. conf. cap. 4.
Lact. l. 3. divinarum instit. cap. 26.
Cypr. lib. 2. epist. 2.
d Ephes. 5, 25. 26.
e Gal. 3, 27.
Rom. 6, 3. 4.
f Serm. in Coena Domini. Vide Cyp. de bapt. Christi, et ablut. pedum.
Orig. in c. 6. ad Rom.
Retic. Augustod. apud August. lib. 1. cont. Julian. c. 2.
g Jac. 1, 14. 15.
Rom. 6, 12. 17, 7. 8.
Trid. sess. 5. can. 5.
Aug. l. 1. de nupt. et concup. c. 23. et 25. et l. 1. con. 2. ep. Pelag. c. 13. Item lib. 1. retract. c. 15. et l. 23. de Trinit. c. 16. de pec. mer. lib. 1. cap. 39. et lib. 2. cap. 33. et 34.

Digitized by Google

fortiusque certando majorem sibi gloriam parent, itaque, ut Paulus docet, [h] *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant,* [i] quique secundum Pauli doctrinam et exemplum, veterem hominem exuentes, de die in diem secundum [k] interiorem hominem renovantur: id quod proprium est [l] baptizatorum.

h Rom. 8, 1.

i Coloss. 3, 9. 10. Ephes. 4, 22—24.

k 2. Cor. 4, 16.

l Rom. 6, 3. 4.

IV.

Quid a nobis requirit acceptum tanti Sacramenti beneficium?

Primum a nobis summam postulat et assiduam animi gratitudinem, ut praedicemus, amemus et celebremus eum, [a] *qui secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum hoc regenerationis et renovationis Spiritus sancti: quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Dominum nostrum: ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae.*

a Tit. 3, 5—7.

Deinde sic hujus Sacramenti mysterium [b] rememorandum est, ut identidem seipsum quisque admoneat praeclarae illius suae sponsionis, et Christianae professionis, quam in sacro lavacro per [c] sponsores edidit. Cogitet igitur Christianus, illic se ex irae filio et Satanae servo, [d] Dei filium Christique membrum, et cohaeredem, vivumque [e] templum Spiritus sancti factum esse.

b Orig. hom. 12. in Numeros.

c Diony. Areop. c. 7. Eccl. hierar. Aug. de nupt. et conc. l. 1. c. 20. Item lib. 1. de pec. mer. c. 19. et lib. 4. cont. Donat. cap. 24.

d Rom. 8. 1. 14. 15-17. Gal. 4, 4-7. 28-31.

e 1. Cor. 6, 19.

Digitized by Google

Ingressus es regenerationis sacrarium, inquit [f] Ambrosius: repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriae ejus ac voluptatibus. [g] Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuae seriés cautionis. Et praeclara Pauli baptizatos omnes adhortantis vox est: [h] *An ignoratis Fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.*

f Ambr. de init. myst. c. 2. Chrys. hom. 21. ad popul. Antioch.

g Ambr. l. 1. de Sacram. cap. 2. Cyril. Hierosol. catech. mystagog.

h Rom. 6, 3. 4. Galat. 3, 27. Aug. de fide et oper. c. 26.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

I.

Quod est alterum a Baptismo Sacramentum?

Confirmatio, quae Sacramentum est novae legis aeque sacrosanctum, ut Augustinus [a] inquit, ac ipse Baptismus: quod baptizatis confertur cum impositione manuum Episcopalium, et sacri Chrismatis inunctione.

a Lib. 2. cont. literas Petil. cap. 104. Conc. Eliber. c. 38. Aur. c. 3. Lao c. 48. Melden. c. 6. Florent. Constantien. sess. 15. Trid. s. 7. Bern. in vita Malachiae episc. Petrus Damianus ser. 1. de dedicat. eccles. Isidor. de eccl. off. l. 2. c. 25. et 26. Raban. de instit. cler. lib. 1. cap. 30.

II.

Unde nobis comprobatur hoc Sacramentum?

Testimonium habet a divina scriptura secundum Patrum [a] et Ecclesiae concordem sententiam atque interpretatio-

a Cyp. lib. 1. ep. 12. Aug. l. 5. cont. Donatist. c. 19. et 20. Item tract. 6. in ep. Joan.

Digitized by Google

nem. Huc enim spectat, quod Lucas [b] Evangelista semel atque iterum scribit de Apostolis, qui super baptizatos manus imposuerunt: hoc signo utentes visibili divinitusque instituto, quod Christo jam initiatis nova et amplior Spiritus sancti gratia conferretur. Quare cum Apostoli manus illis imposuissent, acceperunt, ut Lucas [c] de iisdem baptizatis refert, Spiritum sanctum, cum accessione scilicet ac exuberantia quadam gratiae spiritualis.

b Actor. 8, 14-17. et 19, 4-6. Cypr. ad Jubalian.

c Ibidem.

Nunc vero ubi Apostolorum vicem episcopi gerunt et locum tenent, non fraudat Deus Ecclesiam suam hac tam salutari gratia, sed per eosdem Episcopos [d] in hoc sacramento efficaciter operatur, ut adsit, Cypriano [e] teste, et veritas signo, et Spiritus Sacramento.

d Hieron. cont. Luciferianos.

e Serm. de unction. Chrismatis.

Atque huc pertinet veteris Ecclesiae Canon: [f] Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plene Christiani inveniantur: quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.

f Urban Pont. et Martyr. qui anno 227. vixit, in ep. ad omnes Christianos.

III.

Quae necessaria sunt ad conficiendum hoc Sacramentum?

Tria praecipue ad hoc requiruntur: Sacramenti propria materia, certa verborum forma, et minister idoneus.

Materia ex oleo et [a] balsamo mixta est, quae ab Episcopo consecrata, sa-

a 2. Conc. Braccar. cap. 4. Cyprian. de unct. Chrismat. Greg. in 1. c. Cantic. Fabian et Concil. Floren.

Digitized by Google

cri [b] Chrismatis nomen jam olim obtinuit, et in hoc Sacramento fronti solemni ritu illinitur.

b Cypr. ut supr. et l. 1. epist. 12. Basil. de Spiritu sancto 27. Fab. qui vixit anno 211. ep. 2.

Forma verborum haec praescripta est: [c] *Consigno te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et filii et spiritus sancti.*

c Conc. Florent.

Minister Sacramenti hujus solus est Episcopus, [d] ut Apostolorum exemplum, forma et traditio retineatur. Qua de re jam olim ita sancitum accepimus: [e] Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis [f] Apostolis legitur aut scitur esse peractum.

d Act. 8, 14—17. Clemens. ep. 4. Urban. Melchiad. Damasc. ep. 4. Leo ep. 88. ad Episc. Germaniae et Gall. Conc. Worm. Florent. et Trid.
e Euseb. Pont. et mart. qui vixit anno 310. epist. ad Episc. Tusciae et Campaniae. Innoc. I. epist. I. ad Decent. c. 3.
f Act. 8, 14-17. et 19, 4—6.

IV.

Cur autem Baptizati sacro Chrismate injunguntur?

Quia per Spiritum sanctum sic nobis Apostoli tradiderunt, sicuti [a] Clemens et [b] Dionysius, Petri Paulique Apostolorum discipuli probant. Tradiderunt autem illi quod a Domino ipso utique acceperant, de Chrismate conficiendo, ut gravis est testis [c] Fabianus, idem et Christi martyr, et pontifex Ecclesiae.

Basil. de Spirit. sancto cap. 27.
a Epist. 4. ad Julium et Julianum.
b De Eccl. hierarch. 4. et 2.
c In epist. ad Orientales Episc.

Sacrosanctae etiam [d] Synodi praeceptum de hoc tale extat: Oportet baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrisma percipere, et coelestis regni

d Syn. Laod. c. 48. Corn. ad Fabium Antioch. apud Euseb. l. 6. hist. c. 35. Theodor. I. de haer. fabul. in Novat.

Digitized by Google

participes fieri. Rationem Cyprianus[e] reddit hanc, ut accepto Chrismate, id est, unctione, Christianus esse unctus Dei, et habere in se Christi gratiam possit, teneatque sanctitatem.

Atque unguentum hoc visibile, quo Ecclesia baptizatos ungit, ut[f] Augustinus docet, significat invisibilis gratiae donum, quo Spiritus sanctus Christum in primis, qui et a[g] Chrismate nomen suum trahit, ac deinde Christianos omnes interna unctione imbuit atque confirmat. Unde pulchre[h] Tertullianus, veluti ad olei naturam alludens, ita de hoc Sacramento scripsit: Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manuum impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.

Unde qui sacrum Chrisma rejiciunt, magnum illi imperitiae suae argumentum praebent, ut qui aperte antiquissimam et vetustissimam Apostolorum institutionem negent, ac perpetuum Ecclesiae usum ac traditionem temere damnent.

e Lib. 1. ep. 12. et de unction. Chrism. Cyr. lib. 9. in Levit. Cyr. Hiero. catech. 3. mystagog.

f Lib. 15. de Trinit. cap. 26. Pacianus Barcilon. de Baptis. et ep. 1. ad Sympronian.

g In sententiis Prosperi 342. ex Aug. tract. 33. in Joan. et serm. 47. de verb. Dom. Rab. lib. 1. cap. 30. Isid. lib. 2. cap. 25.

h Lib. de carnis resurrectione. Item in lib. de bap. Theodoret. in cap. 1. Cantic.

Dionys. Clem. Tert. Fabian. Cornelius. Cypr. Cyril. uterque Basil. Pacian. Amphiloch. Optat. etc. Conc. Rom. sub Sylvest. Item 2. 3. et 4. Carthag. 1. Tole. 1. Vasense, Trident.

V.

Quis Sacramenti hujus est usus et fructus?

In Baptismo[a] regeneramur ad vitam: post Baptismum autem in hoc Sacramento confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, hoc vero post Baptismum roboramur, ut regeneratis custos et consolator, et tutor adsit Spiritus sanctus. Haec summi et Pon-

Joan. 3, 3.

a Melchiades ad Hispan. Episc. Vixit anno 311. Concil. Florent.

Digitized by Google

tificis et Martyris Melchiadis est doctrina. Nec dissentit ab eo, quod [b] Clemens testatur, se ab Apostolis ipsis accepisse: Cum regeneratus, inquiens, quis fuerit per aquam, postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo confirmetur, quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit.

b Epist. 4. ad Julium et Julianum. Vixit Apostolor. temp. Amb. lib. 3. de Sacram. c. 2. et de iis qui myst. initiantur, cap. 7.

Prodest igitur hoc [c] Sacramentum mirifice, ut qui fidei mysteriis initiati sunt, sicut geniti [d] modo infantes et adhuc imbecilles, in Christo adolescant atque corroborentur.

c Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 5.

d 1. Pet. 2, 2.

Hos ceu Christianae militiae tirones Episcopus admonet inunctione, ut adversus tot hostes et quotidiana pericula [e] Spiritu principali confirmentur. Consignat illis Cruce [f] frontem, quae pudoris est sedes, ut constanter et intrepide nomen Domini confiteantur: impingit et alapam, ut Christianam militiam invicta patientia exercendam et ornandam esse sibi perpetua memoria retineant.

e Psalm. 50, 14.

f Aug. in Psal. 141. Lucae 9, 26. Matth. 10, 32. 1. Pet. 2, 20. 21. sq. Luc. 21, 15. 16. 19. Matth. 5, 39. Act. 4, 8. sq. et 5, 18. sq. 29. sq. 40. 41.

DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

I.

Quid significat nomen Eucharistiae?

Summum illud [a] et longe sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius, efficacius, salubriusve hoc uno nomine designatur.

a Dionys. Eccles. hierarc. c. 2. et 3. Conc. Trident. sess. 13. can. 2. et 3.

Digitized by Google

Et recte quidem Eucharistia, tamquam bona [b] gratia, seu gratiarum actio dicta est, quia praecipuum et maximum [c] Dei donum, ipsumque omnis gratiae fontem et auctorem continet; summorumque nos bonorum admonet, pro quibus acceptis gratiarum actionem, laudem et gloriam summam Deo summo debemus. Majus enim beneficium optare non potuissemus, quam quod Christus Jesus Dominus noster de Virgine natus, cruci affixus, et in gloriam [d] assumptus, se nobis totum ita largiatur, ut etiam nunc corpus ejus sanguinemque vere sumamus, illique per hoc divinum Sacramentum prorsus [e] incorporemur.

b Ambr. l. 5. de Sacram. cap. 3.
Cypr. de lapsis Origen. cont. Celsum lib. 8.
c Chrys. hom. 60. ad pop. et 83. in Matth. Item 45. in Joan. et 61. ad pop. Antioch.
d Chrys. 3. de sacerdotio, et hom. 2. ad pop. Antioch. et 3. ad Ephes.
e Cyril. in Joan. l. 4. c. 16. et 17. l. 10. c. 13. l. 11. c. 26. et 27.
Hilar. de Trinit. l. 8.
Iren. lib. 5.
Cyril. Hieros. catec. 4. mystag.
Chrys. hom. 45. in Joan. et 61. ad pop. Antiochen.

II.

Quae in hoc Sacramento praecipue continentur?

Tria [a] continet Eucharistia, species visibiles, veritatem [b] corporis et sanguinis Dominici, et spiritualis gratiae virtutem.

Quod enim oculis nostris apparet, [c] species sunt visibiles, panis videlicet ac vini. Quod autem sub speciebus iisdem Fides nostra, non [d] sensus ac ratio comprehendit, id verum Corpus et Sanguis est Christi Salvatoris.

Caeterum quod participatione Sacramenti hujus consequimur, [e] eximia quaedam est Spiritus sancti gratia, fructus nimirum et effectus, ut ostendemus, salutaris Eucharistiae.

a Cyril. Hiero. cat. 4. myst.
b Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. 23. Lucae 22, 19. 20. 1. Cor. 11, 23—29.
c Theoph. in Marc. 14. c. et Matth. 26. ac in Joan. 6.
Cyril. ad Colos.
Amb. l. 4. de Sacram. c. 4. et l. 6. c. 1.
d Damascen. lib. 4. cap. 14.
e Aug. tract. 26. in Joan. et alii postea citandi.

Digitized by Google

III.

Quae sunt praecipue de hoc Sacramento capita scitu necessaria?

Ea quinque potissimum sese offerunt: Primum [a] de veritate Eucharistiae. Alterum de panis et vini transsubstantiatione. Tertium de adoratione ejus. Quartum de ejusdem oblatione et sacrificio. Postremum de sumptione ipsius sub altera vel utraque specie. De his enim praecipue hac quidem tempestate scire, magnum est operae pretium.

a De veritate Eucharistiae extant patrum testimonia apud Roffensem l. 4. adversus Oecolampadium, Item apud Torstallum, Gropperum et Gardetium.

IV.

Quid igitur de veritate Eucharistiae sentiendum?

Id plane, ut cum tota Ecclesia contra omnes [a] Capharnaitas certo credamus, sub speciebus panis et vini veram Jesu Christi [b] carnem, ac verum ejus sanguinem in Eucharistia exhiberi, ministerio quidem Sacerdotis, virtute autem ac potentia Domini nostri Jesu Christi, apud quem impossibile [c] non est omne verbum. [d] *Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.*

Dixit autem in coena illa pridie quam pateretur, instructa, cum panem primum, [e] ac deinde calicem suis manibus apprehendisset; cumque de hujus Sacramenti tum institutione, tum veritate certos omnes reddere vellet, dixit inquam planissime, [f] *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Dixit, [g] *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.* De qua institutione

a Joan. 6, 52. sq. 59. 60. et Trid. Cyril. Aug. tract. 27. in Jo.
b Conc. Ephes. Nicaenum 2. act. 6. Lateranen. cap. 1. Constantien. sess. 8. Florent. Trident. sess. 13. Ignat. ad Smyrnenses, teste Theodor. in dialog. 3.
c Luc. 1, 37. Marc. 10, 27.
d Psalm. 148, 5. Damasc. l. 4. de Orthod. fide c. 14. Ambr. l. 4. de Sacr. cap. 4. et 5.
e Lucae 22, 19. 20. Marc. 14, 22. 23. Matth. 26, 26. 1. Cor. 11, 23-29. Justin. Apol. 2. Iren. l. 4. c. 32. et 34.
f Luc. 22, 19. 20.
g Marc. 14, 22. 23. Matth. 26, 26.

Digitized by Google

dixit et antea, [h] *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Dixit, [i] *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* [k] *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Nec obscura sunt alia tum Evangelistarum, [l] tum Apostoli Pauli testimonia, quae nobis hanc fidem evidenter adstruunt, ne quis [m] dubitare possit, Christum in Eucharistia totum secundum divinam humanamque naturam existere, et nobiscum manere usque ad [n] seculi consummationem.

Igitur [o] eandem plane Christi carnem in templis habemus et sumimus, quae olim in Palaestina coram [p] cernebatur: sed ea nec sensibus hic patet, nec transmutationi et corruptioni est obnoxia: utpote invisibilis, impassibilis, immortalis, summa et divina resplendens gloria, quam solis fidei oculis licet hoc tempore intueri: Beati autem in coelis clare perspiciunt incredibili cum voluptate.

Et sunt adhuc Sacramentarii (ô horrendam [q] saepeque damnatam impietatem) qui adorandum hoc magis, quam investigandum mysterium, dum sensu suo sequi non possunt, etiam negare audent, Evangelii verba quamvis luculenta, mire depravantes. Quod nihil est aliud sane, quam velut e mundo solem tollere, summoque sponsi

h Joan. 6, 55. — Vide Hilar. 8. de Trinit.
Cyr. in Joan. lib. 4. cap. 16.
i Ibid. Vide Cyril. l. 4. in Joan. cap. 15.
k Ibid. Vide Cyril. l. 4. c. 12. et Theoph. in c. 6. Joan. et in 14. Marci.
l 1. Cor. 10, 16. 17. 21. 11, 23-29.
m Epiphan. in Ancorato.
Cyril. Hieros. c. 4. mystag.
Cyril. Alexand. ad Calosyr.
Chrys. 83. in Matth.
Leo. ser. 6. de jejun. 7. mens.
n Matth. 28, 20.
Conc. Viennen. in Clement. tit. de reliq. et venerat. Sanct.
o Aug. in Psal. 33. et 98.
Prosper de promis. et praedict. p. 2. cap. 25.
p Chrys. hom. 2. in poste. ad Tim. et 24. in 1. Cor.
Presbyt. Achaiae in Hist. S. Andreae.
q 2. Synod. Nicaen. act. 6. to. 3.
Rom. Vercell. sub Leone 9.
Turon. sub. Victore 2.
Roman. sub Nicolao 2.
Roman. sub. Gregor. 7.
Constant. sess. 8. in artic. 3. Joan. Wicleff. Trid. sess. 13. can. 1.

Digitized by Google

thesauro sponsam Ecclesiam spoliare, et panem vitae fidelibus eripere: ne sit demum, unde exules illi in hoc mundi deserto pascantur atque sustententur.

V.

Quid vero de transsubstantiatione?

Hic duo in primis animadvertenda, eaque aperte profitenda sunt: alterum, sacerdotem [a] qui conficiat Eucharistiam, legitime ordinatum esse oportere: alterum, tantam inesse vim in [b] verbis illis arcanis et consecratoriis, quibus idem sacerdos Christi vice panem et vinum in altari consecrat, ut panis quidem in Corpus, vinum autem in Sanguinem Domini subito [c] transmutetur.

Vere stupenda, solaque fide metienda transmutatio, quae omnipotente Christi virtute per ea ipsa verba operante fit: nec immerito a sancta Catholica Ecclesia [d] Transsubstantiatio appellata est, quod panis vinique substantia in Corpus Sanguinemque Christi certo convertatur.

Si enim valuit tantum sermo Eliae, ut ignem de coelo devocaret, non valebit Christi sermo (sic enim colligit [e] Ambrosius), ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: [f] Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae

a Coc. Later. can. 1. Chrys. l. 3. de Sacer. Hier. ad Heliod. et ad Evag.

b Just. apol. 2. Amb. l. 4. d. Sacra. c. 4. Chrys. hom. 2. in 2. ad Tim. et de prod. Judae. Vide Bessarion. hac de re, et Nys. in serm. Cat.

c Euseb. Emis. hom. 5. de Pasch. Cyp. ser. de Coena Domin. Cyr. Hier. catech. 1. 3. et 4. mystag. Cyril. Alexan. ad Calosyr. Amb. lib. 5. de Sacram. c. 4. et l. 4. c. 4. et 5. Item l. 4. de fide c. 5. Chrys. in Matth. hom. 83. et de Encaeniis. Damas. l. 4. c. 14.

d Conc. Later. can. 1. Trid. sess. 13. c. 4. et can. 2. Vide et Rom. sub. Greg. 7. Const. ses. 8. art. 1. et 2. Item Flor. Conc. Et Lanfr.

e Amb. de iis, qui myst. init. c. 9. Et l. 4. de Sacr. c. 4. et Guitmund. lib. 3.

f Psalm. 148, 5.

Digitized by Google

sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas. Atqui Christi sermone nihil apertius, dum ait: [g] *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus;* ut nullus omnino relictus sit locus suspicandi, post consecrationem panem et vinum in Eucharistia manere.

g Matth. 26, 26. 28. Marc. 14, 21. 24. et ibid. Theoph. atq. in 6. c. Joan. Vide etiam Greg. Nyss. ser. cat. de divin. Sacr. Guitm. l. 3.

VI.

Esine venerandum nobis, adorandumque hoc Sacramentum?

Est [a] maxime, sic postulante a nobis officio Religionis, ut, quem adesse in Eucharistia credimus, cultu quoque debito prosequamur creaturae Creatorem, serui Dominum atque Redemptorem Opt. Max.

a Aug. in Ps. 98. Ambr. l. 3. de. Spir. sanct. c. 12. Matth. 4, 10. Apoc. 14, 7. 19, 10. 22, 9. Trid. ses. 13. c. 5. et can. 6.

De quo Scriptura [b] ipsa pronuntiat: *Adorent eum omnes Angeli* Dei. Et rursus: [c] *Adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes seruient ei.* Tum alibi divinus Propheta, cum hoc Sacramentum, ejusque magnitudinem contemplatur, non sat habet dicere: [d] *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum;* sed hoc etiam addit: *Adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.* Item, *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae.*

b Hebr. 1, 6. Ps. 96, 7. 8.

c Psalm. 71, 11.

d Ps. 21, 27. 30. Vide ibid. Aug. exp. prima; et epist. 120. ad Honoratum.

Laudantur sane [e] Magi, similesque nonnulli apud Evangelistas, quod Christo adhuc in carne mortali honores divinos exhibuerint, coram eo procidentes, eumque adorantes. Ad-

e Matth. 2, 11. Joan. 9, 35. 38. Matth. 9, 18. 14, 33. et 28, 16. 17. Luc. 24, 51. 52.

Digitized by Google

qui nobis idem nunc est Christus in Eucharistia: non [f] mortalis, sed immortalis, omni gloria et virtute prorsus admirabilis. Quam nos fidem religioso [g] corporis animique cultu jure testamur, dum Christianae humilitatis, et debitae gratitudinis officium coram tremenda illa, semperque reverenda Dei majestate venerabundi ac supplices exhibemus.

f Rom. 6, 9. Psalm. 94, 2. 3. sq.

g Chrys. hom. 24. in 1. Cor. et 61. ad pop. hom. 3. in epist. ad Ephe. Item l. 6. de Sacerdot. Nazian. in Gorgoniam. Greg. 4. dial. c. 58. Orig. hom. 5. in diversos evang. locos.

VII.

Quid porro de altaris Sacrificio credendum est?

Id procul dubio, institutam esse Eucharistiam non in eum usum tantum, ut a Christianis velut alimentum salutare sumatur; unde [a] cibus, potus, vivus ac vitae panis dicitur: sed etiam ut tanquam summum et proprium novi Testamenti sacrificium [b] offeratur: ut hinc jam olim nomen acceperit hostiae, sacrificii, victimae, oblationis, holocausti. Offertur autem in jugem passionis Dominicae memoriam et gratiarum actionem, atque ut credentibus prosit ad [c] hujus et futurae vitae mala depellenda, bonaque impetranda: neque solum vivis, sed etiam defunctis prosit in remissionem peccatorum, sicut e scriptura divina et traditione [d] Apostolica gravissimi Patres asseverant.

a Joan. 6, 48. 51. 55. 59. 1. Cor. 10, 16. et 11, 26. Prov. 9, 2-5

b Dionys. eccl. hier. c. 3. et ep. 8. Ignat. ad Smyrn. Justin. in dial. cum Tryph. Aug. epist. 23. et lib. 20. contra Faust. c. 21.

c Jac., Bas. et Chrys. in liturgiis. Aug. 22. de civitate, cap. 8. Chrys. 77. in Joan. et 18. in Act. Greg. 4. dial. c. 57. Beda 4. Ang. hist. c. 22.

d Clem. ep. 3. Iren. l. 4. c. 32. Chrys. hom. 3. ad Phil. et 69. ad pop. Dam. in orat. de defunct.

Hoc est eximium illud et incomparabile sacrificium, quod Christus in extrema coena sub panis et vini specie [e] instituens, suis Apostolis, ut

e Iren. l. 4. c. 32. Eus. l. 1. c. 10. dem. evang. Cypr. l. 2. ep. 3. Aug. 10. de civit. ca. 20. l. 20. cont. Faust. ca. 21. In Ps. 33. conc. 2.

Digitized by Google

primis novi Testamenti sacerdotibus, horumque successoribus, ut offerrent, his [f] verbis demandavit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Haec est oblatio, quae per varias sacrificiorum naturae [g] et legis tempore similitudines [h] figurabatur, utpote quae bona omnia per illa tum significata, velut illorum omnium consumatio et perfectio complectitur. Hoc illud est juge sacrificium, quod non nisi ad finem mundi [i] abolendum, Daniel [k] testatur.

Ad hoc spectat Sacerdotium [l] secundum ordinem [m] Melchisedec, quod etiam David in Christo futurum et permansurum praedicat.

Haec oblatio munda, quam nulla vel indignitas, vel malitia offerentium inquinare possit: quae Judaicae legis [n] sacrificiis quamplurimis unice [o] succedens, apud Gentes in omni loco, id est, toto [p] orbe terrarum ad celebrandum Dei et Redemptoris nostri nomen offertur atque sacrificatur, ut apud Malachiam legimus.

Haec est Missae oblatio, Sacrificium, Liturgia, cui testimonium omni exceptione majus praebent Canones et Traditiones [q] Apostolorum, sanctae [r] Synodi, magnus consensus et usus perpetuus totius Ecclesiae Graecae [s] et Latinae, Orientalis et Occidentalis.

Quod Missae [t] Sacrificium, si rem omnem aeque perpendimus, est re-

f Lucae 22, 19. Chrys. 83. in Matth. et 24. in priorem ad Cor. Martial. ad Burdeg. Areop. ca. 3. Eccles. hierarch.
g Gen. 4, 4-8, 20. et 14, 18. 19. Ex. 12, 3-13.
h Aug. l. 10. de civit. c. 20. et l. 6. contra Faust. c. 5.
i Hip. de cons. mundi. Chrys. hom. 49. op. imperf.
k Dan. 12, 11. 9, 26. 27.
l Ps. 109, 4. Heb. 7, 1. sq. 11. sq. Gen. 14, 18. 19.
m Cyp. 2. ep. 3. Eus. l. 5. de dem. c. 3. Hier. ad Marc., et Evag., to. 3. Aug. in Ps. 33. conc. 2. Epi. haer. 35. Dam. 4. c. 14.
n Num. 28, 3-15. sq. 19, 1 — fin.
o Aug. 17. de civ. c. 20.
p Mal. 1. Vide Mart. ad Burd. c. 3. Just. in dial. cum Tryp. Iren. l. 4. c. 32. 33. et 34. Crys. in Ps. 95. Aug. 19. de civ. c. 23. et l. 18. c. 35.
q Can. 3. et 9. Apost. Clem. l. 6. const. Apost. c. 23.
r Nicaen. 1. c. 14. Laod. c. 19. et. 58. Eph. in ep. ad Nest. et act. Trid. ses. 22.
s Vide lit. Jac. Bas. Chrys. Amb. Greg. etc.
t Missae nom. habet Alex. 1. epist. 1. Tel. Fel. 1. epist. 2. Hig. et Sot. ap. Grat. Ev. ap. Ivon. et Fab. in

Digitized by Google

vera Dominicae passionis, et illius cruenti sacrificii, quod in cruce pro nobis est oblatum, sancta quaedam et viva repraesentatio, atque simul incruenta et efficax oblatio.

Ex qua fit primum, ut memoria, fides et gratitudo nostra in Redemptorem ipsum vivida quotidie excitetur confirmeturque, secundum illud: [u] *Hoc facite in meam commemorationem.* Quorum verborum Ecclesia tam sedula interpres fuit, ut omnem incruenti hujus sacrificii externum ornatum, [v] vestes sacras, vasa, ritus, actionesque omnes ita instituerit, ut ob oculos circumstantium nihil aliud, quam commemoratio illa sancta observetur, tantique sacrificii majestas magis commendetur, ac mentes fidelium his tum signis, tum adminiculis exterioribus ad meditationem rerum divinarum, quae in hoc sacrificio latent, facilius sustollantur, et veluti manu ducantur.

Hinc fit etiam, ut oblationes Christi in cruce factae et redemptionis fructus nobis, atque credentibus itidem omnibus, tam [x] defunctis, quam vivis, applicetur.

Quare [y] Cyprianus hoc Sacramentum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates tum medicamentum, tum holocaustum esse testatur. Martialis vero, [z] Apostoli Petri discipulus, ita scribit: Quod Judaei per invidiam immolaverunt, putantes se, no-

cod. dec. 16. 1. Dam. in Alex. Sixt. 1. Tel. et Fel. 1. Item ep. 4. Carth. 2. c. 3. Ambr. ep. 33. Aug. ser. 9. 137. et 251. de temp. Item in Conc. Mil. can. 12. et 4. Car. can. 85. Leo ep. 81. ad Diosc. et 88. ad ep. Gal. et Ger.

u Lucae 22, 19. 2. Cor. 11, 24.

v De caer. Mis. Dion. de Eccl. hier. c. 3. Isid., Alc., Rem. Rab. Tuit. Innoc. 3. etc. Conc. Trid. Hier. ad Theoph. ante l. ej. Pasch. Cyril. Cat. 5. myst. Clem. epist. 2. ad frat. Dom. Bed. l. 1. hist. Angl. c. 29.

x Cypr. l. 1. epist. 9. Chrys. 41. in 1. Cor. et 21. in Act. Dam. or. de def. Aug. de cura, c. 1. et serm. 34. de verb. Ap. Item l. 9. Conf. c. 11. 12. et 13. Epiph. cont. Aerium haer. 75.

y Ser. de Coen. Dom. Vide Jac. in Lit. Bas. et Chrys.

z Ad Burd. c. 3. Vide Hier. in cap. 1. ad Tit. Amb. 1. of. c. 18. et in Ps. 38. Alex. ep. 1. et 2. Naz. orat. 1. in Julian. Aug. ser. 4. de Innoc. 3. brac. can. 1. Greg. hom. 37. in Evang. Trid. c. 2. sess. 22.

Digitized by Google

men ejus a terra abolere, id causa salutis nostrae in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam praestandam, et mortem effugandam. Omittimus interim ejusdem fidei et sententiae testes Patres alios, ut instituta nobis brevitas retineatur.

Ex quibus liquido constat, Christum dici et esse nobis Sacrificium duplici modo, cruento videlicet ac [a] incruento. Nam in cruce cruentum ille Sacrificium pro nobis obtulit [b] sese, ut typo Paschalis agni, qui apud Judaeos [c] immolabatur, verus ipse agnus sine macula, id est, figurae veritas responderet. In coena vero, [d] sicut et in altari, modo cultuque incruento, quemadmodum et Cyrillus [e] vocat, idem offerri voluit, ut oblatio [f] Melchisedec, qui panem vinumque obtulit, consumationem suam acciperet, maneretque verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, ac ejus sacerdotium esset in aeternum, nullo unquam alio succedente.

Illic semel [g] et uno dumtaxat in loco Judaeae peregit sacrificium, de quo Paulus Hebraeis scribens disserit: hic [h] vero saepius et omni in loco, nempe per omnem passim Ecclesiam, sacrificatur, ut [i] Malachias Propheta confirmat. Illic in mortem offertur: hic in mortis illius jugem vivamque recordationem, et salutiferam ejus, quae

a Concil. Ephe. in epist. ad Nestor. 2. Synod. Nicaen. act. 6. tom. 3. Aug. cont. Faust. l. 20. c. 21.

b Ephes. 5. 2. Hebr. 10, 14.

c Exod. 12, 3-13. Marci. 14, 12.

d Euseb. l. 1. demon. evan. c. 10. Naz. orat. 2. in Julian. et ad Episc. Item ad Const. sacerd.

e Epist. 10. ad Nest. Item in int. anath. 11.

f Gen. 14, 18, 19. Heb. 7, 1. sq. 11. sq. Ps. 109, 4. Hier. in c. 26. Matth. Oecum. in c. 5. ad Hebraeos.

g Heb. 9, 25-28. 10, 14.

h Chrys. hom. 17. in epist. ad Hebr. Aug. epist. 23. Teoph. in c. 5. 7. et 10. ad Hebr. Item Oec. et Phot.

i Malach. 1, 10. 11.

Digitized by Google

inde velut a capite ad membra dimanant, participationem, ut nimirum illius in cruce oblati sacrificii fructus ac efficientia, hoc Missae sacrificio quotidie nobis exhibeatur atque applicetur.

VIII.

Estne sub altera tantum, panis scilicet; an vero sub utraque panis ac vini specie, sumenda Eucharistia?

De sacerdotibus quidem seu sacrificantibus constat, ambas Sacramenti species illis esse sumendas, sine quibus neque rite consecrare, neque offerre possent Eucharistiam. Cujus rei causam ex sacrificio ipso pendentem reddere hic jam necesse non est.

De aliis vero fidelibus non sacrificantibus, illud fatendum est, nullo eos divino praecepto ad Eucharistiae Sacramentum sub specie utraque sumendum astringi, sed ad salutem illis esse satis alterius speciei communionem. Igitur si veteris Ecclesiae statum repetimus, [a] nunc unam tantum, nunc utramque speciem fidelibus dispensatam fuisse comperiemus. Si vero scripturam sacram consulimus, [b] sic illa de hoc Sacramento disserit, ut modo panis et calicis, modo solius quidem panis soleat meminisse. Ubi enim legimus: [c] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; legimus etiam: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.*

a Tertul. l. 2. ad uxor. Cypr. serm. 5. de lapsis. Orig. hom. 13. in Exod. Basil. ad Caesa. Pa. Hier. apol. pro l. contra Jovin.

b 1. Cor. 10, 16. et 11, 26. Act. 2, 42.

c Joan. 6, 53. Ibidem. Conc. Trid. ses. 21. cap. 1.

Digitized by Google

Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam;* dixit etiam: [d] *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Et rursus idem qui affirmavit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* affirmavit et illud: [e] *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*: ut omittamus, quae [f] Lucas de fractione solum panis adducit.

Neque Christi nobis hic deest exemplum, qui primum in extrema illa coena [g] sub utraque specie hoc instituit, ac Apostolis tradidit Sacramentum. Deinde vero in Emaus cum duobus discipulis agens, sub una solum specie [h] porrexit illis Eucharistiam, ac postea statim illinc sese subduxit, sicut Evangelicum hunc locum Patres interpretantur.

Proinde damnandi non sunt, sive qui nunc unica contenti specie, ab usu calicis abstinent, et multis ab hinc seculis [i] abstinuisse leguntur; sive qui olim cum ita probaret Ecclesia, utramque speciem in usu publico habuêre.

Verum magister rerum usus paulatim docuit; majore cum populi commoditate, ac minore periculo, multisque de causis frugifere fieri, ut omisso calicis usu, alterius tantum speciei communio retineatur. Atque ita faciendum jamdiu decrevit Ecclesia, non discedens illa quidem a Sponsi

d Ibidem 54.

e Ibidem 51.

f Luc. 24, 30. 31. Act. 2, 42. 20, 7. 27, 35. 36. Aug. ep. 86. ad Cas. et Chrys. hom. 17. op. imperfecti.

g Matth. 26, 26-28. Marc. 14, 22-24. Luc. 22, 19. 20. 1. Cor. 11, 23-25.

h Luc. 24, 30. 31. sq. et ibid. Theoph. et Beda. Chrysost. in Matth. op. imperf. hom. 17. et Aug. l. 3. de cons. Evang. cap. 25.

i Eus. l. 6. eccl. hist. c. 36. Aug. hom. 26. ex hom. 50. et serm. 252. de temp. Amb. in Sat. Paul. in vit. S. Amb. Amph. in vita Bas. Bed. Angl. hist. l. 4. c. 14. et 24. Theod. in Phil., vit. 26. quae est Sim. Evag. l. 4. eccl. hist. c. 35. et Guil. abbas in vita S. Bern. l. 1. c. 11.

Digitized by Google

sui instituto praeceptove (columna enim [k] et firmamentum veritatis est, et mysteriorum Dei fida [l] dispensatrix) sed potestatem a Sponso acceptam in dispensandis mysteriis ad [m] aedificationem communemque fidelium utilitatem convertens, prout temporum hominumque conditio, quae nonnulla etiam in sacris immutari cogit, postulare videtur.

Nam et Evangelii nobis verba [n] declarant, Christum in coena cum illis egisse, quibus potestatem fecit non sumendae modo, sed etiam consecrandae offerendaeque Eucharistiae, immo [o] et ordinandae et administrandae totius Ecclesiae. Horum judicio, prudentiae et auctoritati reliquit, cum de aliis plerisque ad rem Christianam spectantibus, tum de modo ordineque dispensandae fidelibus Eucharistiae, jus in posterum constituendi, atque pro ratione temporum rite disponendi.

Id probat etiam ex [p] Paulo [q] Augustinus, et multis Apostolorum institutis evinci facile potest.

Nec est cur Laicis injuria irrogari ulla putetur, si ut in plerisque itidem [r] aliis, hac in parte non aequantur sacerdotibus. Nam in confesso est, Christum non esse dissectum in partes duas secundum duo Sacramenti hujus signa, sed tam sub una, quam sub utraque specie, immo sub unius etiam hostiae consecratae [s] particula

k 1. Tim. 3, 15.
l 1. Cor. 4, 1.
m 2. Cor. 10, 8. 13, 10. Conc. Trid. sess. 21. c. 2.
n Matth. 25, 20. sq. 26-28. Marc. 14, 17. sq. 22-24. Luc. 22, 14. 19. 20. Just. in apol. 2. ad Ant.
o Act. 20, 28. 1. Pet. 5, 2. Luc. 10, 16. Ephe. 4, 11. sq. 1
p 1. Cor. 11. 34.
q Ad Jan. epist. 118. c. 6.
r Matth. 18, 18. Joan. 20, 23. 1. Tim. 3, 2. 8. 13. et 4, 13. 14. Ad Tit. 1, 5.
s Bas. ad Caes. pat. Cyr. in epist. ad Calos., et in Joan. l. 4. c. 17. Conc. Flor. Eus. Emis. hom. 5. de pasch. Trid. ses. 13. c. 3. Et de Cons. dist. 2. ca. qui manducat. et c. Singul.

Digitized by Google

Christum totum exhiberi atque sumi, videlicet secundum carnem, animam, sanguinem, divinitatem. Ubi autem Christus totus ac integer sumitur, illic deesse non potest integer quoque fructus et efficax gratia tanti Sacramenti. Quapropter nulla hic laici utilitate fraudantur, sive rem ipsam in Sacramento contentam, Christum scilicet Deum et hominem spectes, sive [t] fructum et gratiam, quae Eucharistiam sumentibus, ad animarum salutem donatur, quaeras: sed tantum hi sub altera accipiunt, quantum sub utraque, si liceret, specie essent percepturi.

t Joan. 6, 48-51. 54-58. I. Cor. 10, 16.

Qua de re [v] ambigendi, vel disceptandi amplius nullus jam relictus est locus, posteaquam Spiritus sanctus, qui juxta promissionem [x] Christi docet ac regit Ecclesiam, certam nobis et explicatam sententiam edidit, editamque semel ac iterum sacrosanctae [y] Synodi non violanda auctoritate confirmavit. Unde perspicue colligi potest, hanc sub altera specie communicandi consuetudinem praecepto divino haud adversari, Ecclesiae legitima auctoritate fulciri, temporis longaevitate, magnoque populorum fidelium consensu comprobari, ratione ac utilitate certa commendari: ac demum pro lege, quam sola mutare possit Ecclesia, certo habendam esse.

v Aug. ad Jan. epist. 118. cap. 5.

x Luc. 22, 31. Joan. 14, 16. 17. 26. et 16, 12. 13. Esaiae 59, 21.

y Synod. Const. sess. 13. Bas. sess. 30. Trid. sess. 22.

Sed nec adversarii, quantumvis hic obstrepant, ejusmodi in communican-

Digitized by Google

do ritus initium ullum possunt demonstrare. Ut mirum sit adhuc reperiri, qui privatae pietatis specie ducti, aliter sibi persuadeant, et [z] hac in parte cum novis Ecclesiae contemptoribus adversus venerandam totius Ecclesiae [a] auctoritatem conspirent. His verendum est sane, ne, dum externa Sacramenti signa tantopere urgent, et contentioni serviunt, Sacramenti fructum internum, adeoque Christum totum amittant: ut ab omni usu Sacramenti praestet eos penitus abstinere. Quandoquidem neque [b] Fides, neque Sacramenta ullis, nisi persistentibus in Ecclesiae unitate, sunt salutaria. Ut hinc Augustinus [c] dixerit: Omnia Sacramenta Christi non ad salutem, sed ad judicium habentur sine charitate unitatis. Ac iterum: [d] Quid prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere schismatis perempta est sanitas charitatis? Nec dubium sane, quin graviter in Christum ipsum peccent, qui hoc unitatis sanctissimo [e] symbolo ad schismaticae divisionis symbolum audent abuti.

z 1. Tim. 3, 15. Matth. 18, 17.

a Aug. contra Cresc. l. 1, c. 33.

b Aug. de unit. eccl. c. 4.

c Lib. 3. contra lit. Petil. c. 40.

d De bapt. contra Don. lib. 1. c. 8.

e Aug. 21. de civ. c. 25. Trid. sess. 13. c. 2. et 8.

IX.

Quem fructum exhibet rite sumpta Eucharistia?

Plurimum sane maximumque praebet. Hoc enim sacrum est convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens [a] impletur gratia, et futurae gloriae nobis

a Amb. in Ps. 118. ser. 15. vers. 4. Conc. Trid. sess. 13. c. 2.

Digitized by Google

pignus datur: ut praeclare horum fructuum sensu experientiaque excitata decantat Ecclesia.

Hic est[b] panis, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo; nostrosque animos in vita spirituali sustentat atque confirmat.

Haec sacra synaxis, sive communio, [c] quae fideles tanquam ejusdem corporis membra inter se jungi, ac sanctorum piorumque omnium meritis associari significat atque praestat: tum, quod augustius est, eosdem capiti suo Christo[d] arctissime unit, ut in eo illi[e] maneant, et ipse in illis, atque ita vitam aeternam consequantur.

Hoc est viaticum[f] nostrae peregrinationis, quod in hujus vitae deserto militiaque versantibus, et hinc ad caelestem Hierusalem contendentibus, veluti Manna[g] Patribus datum, affert consolationem, delectationem, virtutem, et gratiam longe efficacissimam.

Ac praecipue quidem duo (ut egregie docet[h] Bernardus) in nobis operatur hoc Sacramentum, ut et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut caeterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.

b Joan. 6, 32. 33. 48. 51. 52. 58. et ibidem Teoph. et Cyrill.

c 1. Cor. 10, 17. Conc. Florent.

d Chrys. hom. 45. in Joan. et 61. ad pop. Hil. l. 8. de Trinit. Leo serm. 14. de pas. Dom. Cyr. l. 11. in Joan. c. 26. l. 10. c. 13. et l. 4. c. 17.

e Joan. 6, 56.

f 1. Nic. con. can. 12. 2. Aur. can. 12. 3. Aur. can. 24. Chrys. 6. de Sac. Paul. in vita Amb.

g Exod. 16, 12. 16. 31. sq. Deut. 8, 3. Sap. 16, 20. Joan. 6, 58.

h Serm. de coena Dom. Lege Cyrill. l. 4. in Joan. c. 17. et l. 3. c. 37.

Digitized by Google

Et idem [i] alibi: Hoc corpus Christi aegris medicina, peregrinantibus via; quod debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat. Per hoc homo mansuetior efficitur ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actionem devotior.

i Citant. a B. Thom. opusc. 50. c. 5. Vide etiam Chrys. hom. 24. in 1. Cor. et 51. in Matth.

Quare nihil mirum a magno [k] Ignatio scribi, ut ad Eucharistiam Deique gloriam, sicut ille appellat, frequenter et propere accedamus. Quando enim assidue hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Satanae, qui actus suos in sagittas ad peccatum ignitas convertit. Medicamentum est panis ille immortalitatis, antidotum non moriendi, sed in Deo per Jesum Christum vivendi.

k Ad Ephes. Vide Bas. ad Caes. Pat. Amb. l. 5. de Sac., c. 4. Cyp. ser. 6. de orat. Dom. Hier. ad Luc. epist. 28. Cyr. l. 3. in Joan. c. 37.

X.

Quaenam ad Eucharistiam digne sumendam, ejusque fructus consequendos requiruntur?

Expedita est Apostoli responsio: [a] *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat;* quemadmodum et Augustinus [b] dixit, in Christi corpore vita nostra consistit: mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam.

a 1. Cor. 11, 27-32. et ibid. Theoph. et Ans. Item Greg. in 1. Reg. l. 2. c. 1.

b Serm. 1. de temp.

Haec autem probatio sui, et vitae mutatio in quatuor potissimum rebus versatur, videlicet, ut adsit fides, poenitentia, mentis attentio, et Christiani hominis habitus decens.

Fides hoc postulat, ne [c] de his, quae diximus, aliisque similibus ad hoc

c Bas. quaest. 172. in regul. brevior. sive comp. explic.

Digitized by Google

mysterium pertinentibus, quicquam dubites. Id fiet, si simpliciter quidem in fide atque sententia Ecclesiae, [d] ut est sane necessarium, per omnia acquiescas.

d 1. Tim. 3. 15.

Poenitentia, [e] de qua mox plura dicemus, peccatorum detestationem, et explicatam coram Sacerdote confessionem, impetratamque absolutionem exigit.

e Bas. l. 1. de bapt. c. 3. et l. 2. c. 3. Cypr. de laps. Conc. Trid. sess. 13. c. 7. Hes. in c. 26. Lev. Chrys. hom. 30. in Gen. et hom. 10. in Matth.

Animus deinde [f] praesens accedat opus est, qui sese per meditationes et precationes [g] pias ad hoc tantum Sacramentum serio convertat.

f Chrys. hom. 83. in Matth. et 3. ad Eph. 60. et 61. ad pop. Ant.

g Amb. in orat. ante missam.

Postremo decens habitus, et compositio postulat, ad sacram Synaxim neminem, nisi [h] castum, [i] jejunum, modestum, humilem, [k] supplicem, minimeque sordidum accedere.

h Aug. ser. 2. et 252. de temp.

i Aug. ad Jan. epist. 118. c. 6.

k Orig. hom. 5. in div. evang. loc.

Qui vero sacram Eucharistiam indigne sumunt, non vitam, sed judicium sibi sumunt, et [l] rei sunt corporis et sanguinis Domini, Apostolo teste: quales cum Juda et Judaeis sanguinariis Christi hostibus gravissime condemnabuntur.

l 1. Cor. 11. 27-32. Chrys. hom. 45. in Joan. et 61. ad pop. Antioch. Bas. l. 2. de bapt. quaest. vel c. 3. Theod. in 1. Cor. c. 11.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

I.

Quid est Poenitentiae Sacramentum?

Est in quo Sacerdotalis absolutio a peccatis, quae detestatus riteque confessus quis fuerit, impenditur.

Trid. sess. 14. c. 1. et can. 1. Item ses. 6. c. 14. et c. 19. Flor. et Const., ses. 15. Bern. in vita Mal.

Digitized by Google

Quam absolvendi potestatem ut in Ecclesia certam haberemus, divina promissio [a] Sacerdotibus facta haec fuit: [b] *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Tum in alio loco: *Amen dico vobis*, inquit [c] Dominus, *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.*

Ex quibus liquido cernitur, praestantem et consolationis plenam Sacramenti hujus efficaciam esse, ut quo remittantur quaecumque peccata foedissime perpetrata, et solvantur indiscriminatim, qui coram Deo reas habent conscientias: idque Sacerdotum ministerio, ex divina Christi institutione. Quare Sacerdotum potestas et auctoritas nunc longe quam [d] olim, est excellentior, plurisque facienda, ut quibus non corporis lepram, verum animae sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est, [e] Chrysostomo teste. Et [f] Augustinus: Quid facit Ecclesia, inquit, cui dictum est, quae solveritis, soluta erunt? nisi quod ait Dominus ad discipulos: [g] *Solvite illum, et sinite abire?*

a Trid. ses. 14. c. 6. et c. 10. Amb. l. 1. de poen. c. 2. et 7. Item l. 2. c. 2.

b Joan. 20, 22. 23. Ibidem. Cyrll. l. 12. c. 56. Greg. hom. 26. in Evang. Chrys. hom. 85. in Joan.

c Matth. 18, 18. Cypr. l. 1. epist. 54. ad Cornel. Hilar. c. 16. in Matth. Hier. ad Hel. epist. 1. Aug. l. 20. de civit. Dei, cap. 9. Chrys. hom. 5. de verb. Esaiae, Vidi Dominum.

d Levit. 4, 22-35. 5, 4-19. 6, 2-7. 13, 1-3. sq. 14, 1-7. Matth. 8, 4. Lucae 17, 14.

e Chrys. l. 3. de Sac.

f Aug. de verb. Dom. serm. 8. Vide etiam serm. 44. et in Joan. tract. 49. Item hom. 27. ex 50. et in Ps. 101. conc. 2.

g Joan. 11, 44.

II.

Cur opus est Poenitentiae Sacramento?

Ut homo post baptismum relapsus, et inimicus Dei factus, per hoc Sacramentum remissione peccatorum ac-

Amb. l. de poen. 1. et 2. et Aug. l. 1. de adult. con. c. 28. et l. 2. c. 16. Conc. Lateran. 1. Trid. c. 2. ses. 14. Item Flor. Hier. l. 2. advers. Pelag.

Digitized by Google

cepta, Deo reconcilietur, et ex mortuo vivus, ex impioque justus efficiatur.

a Pac. epist. 1. ad. Symp. Hier. in c. 3. Esa. et ad Demet. de ser. virg. Amb. ad virg. laps., c. 8. Trid. ses. 6. c. 14. et ses. 14. can. 2. Tert. de poen. Ezech. 18, 30-32. et 33, 11-16.

Unde Patres [a] poenitentiam non temere secundam post naufragium Tabulam vocant, qua scilicet ex vortice mortalis peccati tamquam e naufragio subvehi, et in gratiam amicitiamque Dei transferri unusquisque possit, quantumlibet multis magnisque criminibus praegravatus.

III.

Quando hoc Sacramentum rite accipitur, et efficaciter operatur?

Conc. Flor. et Trid. ses. 14. c. 3. et can. 4.

Cum is qui remissionem peccatorum implorat, tres illas partes seu actiones adhibet, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quae totam hominis ad Deum conversionem, poenitentis officium, et renovationem complectuntur. De quibus ita [a] Chrysostomus: Perfecta poenitentia cogit peccatorem, omnia libenter ferre: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hanc esse frugiferam poenitentiam, Chrysostomus asserit, ut quibus modis Deum offendimus; offendimus autem corde, ore ac opere; iisdem reconciliemur Deo, corde quidem per Contritionem, ore per Confessionem, ac opere per Satisfactionem.

a Serm. de poenit. 2. Reg. 16, 5. sq. Ps. 50, 19. 5. 6. 6, 7. 37, 7. 8. 18. 19. 101, 4. 5. 10. 2. Reg. 12, 13. 14. 24, 10-13. 3. Reg. 21, 25-29. Jon. 3, 7-10.

b Psalm. 50, 19.

Ad Contritionem pertinet illud: [b] *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

Digitized by Google

Confessionem his verbis Lucas indicat: [c] *Multi credentium veniebant confidentes et annuntiantes actus suos.* Et [d] Jacobus Apostolus docet: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

c Act. 19, 18. Num. 5, 6. 7.
d Jac. 5, 16. et ibidem Beda.

Ad Satisfactionem porro spectant, digni [e] poenitentiae fructus, quos Joannes Baptista postulat, inter quos et eleemosynae. De his autem Daniel Propheta: [f] *Peccata tua*, inquit, *eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

e Matth. 3, 2. Lucae 3, 8. Act. 26, 20.
f Daniel. 4, 24.

Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem, ait [g] Ambrosius.

g Amb. ad virg. lapsam, cap. 8.

Atque eo referendum etiam, quod Paulus ait [h] de Corinthiis deplorandis, quandoquidem super immunditia, fornicatione et impudicitia quam gesserant, poenitentiam necdum egissent.

h 2. Cor. 12, 21.

IV.

Quid est Contritio?

Est animi dolor, et quae de peccatis propter Deum offensum concipitur detestatio, cum proposito vitae in melius commutandae conjuncta.

Trid. cap. 4. sess. 14. Florent. Aug. serm. 3. in Natali Domini et cap. 3. de poenitent. medicina, seu hom. 50. ex 50. Ibidem cap. 15.

Haec contritio [a] paratur, si quis peccatorum suorum foeditatem, magnitudinem ac multitudinem sedulo intueatur: si de summa bonitate offensa, de Dei gratia, caeterisque donis amissis sollicite cogitet: si mortis incertae ineluctabilem [b] necessitatem, futuri judicii horrendam severitatem, ac paratas etiam peccatoribus poenas

a Chrys. in psal. 50. et de compun. cord. lib. 1. et 2. Aug. de poenit. medic. cap. 9. Amb. cap. 8. ad virg. laps. Trid. sess. 14. can. 5.
b Hebr. 9, 27. Sophon. 1, 15. Matth. 25, 41. Marc. 9, 43. 44.

Digitized by Google

sempiternas expendat atque pertimescat.

Huc pertinet illud Ezechiae: [c] *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Et illud Davidis: [d] *A judiciis tuis timui.* Et quod idem gemens orat: *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.* Nec multo post: *Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Quin et manifesta Dei vox est ad peccatorem: [e] *Charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque unde excideris, et age poenitentiam.* [f] Sed et Christus in Evangelio, *Timete eum*, inquit, *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Jam vero contritionis hic dolor ita demum ad remissionem peccatorum nos praeparat, si cum [g] fiducia divinae misericordiae, votoque praestandi ea, quae ad [h] Poenitentiae Sacramentum spectant, conjungatur.

c Esaiae 38, 15.
d Psalm. 118, 102. Psalm. 37, 9.
Ibidem 19.
e Apoc. 2, 4. 5. 2. ad Cor. 12, 21. et 7, 9. 10.
f Lucae 12, 5. Matth. 10, 28.
g Ambr. lib. 1. de poenit. cap. 1.
h Aug. de poenit. med. cap. 11. et in Euchirid cap. 65. Ambr. in Psal. 37. et cap. 8. ac virg. lapsam.

V.

Estne Confessio necessaria?

Est utique: non solum autem, ut quidam falso autumant, interior illa, quae coram Deo [a] quotidie facienda est Davidis exemplo, qui ait: [b] *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino:* verum etiam haec exterior, quae apud [c] Sacerdotem de criminibus peragitur omnibus, quae post

a Chrysost. hom. 42. in Matth.
b Psalm. 31, 5.
c Orig. in Psal. 37. hom. 1. Chrysost. lib. 3. de sacerdot. Cyrill. lib. 2. in Leviticum.

Digitized by Google

examinatam sedulo conscientiam in mentem homini veniunt.

Ita de hominibus Ecclesiae primitivae scriptum est: [d] *Multi credentium veniebant confitentes et annunciantes actus suos.*

Quam confitendi rationem esse necessariam, non Ecclesiae [e] modo sacra jura, et Patrum [f] veneranda scripta confirmant, sed etiam Christi divina verba concludunt declarantque, cum ait: [g] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui remittere, vel retinere peccata (cum judicis haec sint officia) nullus recte potest Sacerdos, nisi peccantis causam, de qua judicandum est, probe antea cognitam habuerit atque perspectam. Quae causae cognitio prius haberi non potest, quam is, qui expendendum se Sacerdoti, ut [h] judici ac [i] medico suo, absolvendumque tradit, spontanea confessione vulnera sua sigillatim detegat, atque ita aperiat, ut Sacerdos ubi peccata solvenda et ubi liganda sint, explicate cognoscere queat.

d Act. 19, 18.

e Conc. Lateranen. can. 22. Florent. et Trid. sess. 14. cap. 5.

f Clemensepist. 1. ad Fra. Dom. Dionys. epist. 8. adDemoph. Tertul. de poenit. Orig. in Psal. 37. homil. 2. Cypr. de lapsis. Pacianus in parenesi ad Poeni. Cyril. lib. 2. inLevi. Hieron. in cap. 1c. Ecclesiastae. Chrysost. hom. 30. in Genes. et 10. in Matth.

g Joan. 20, 23.

h Aug. lib. 20. de civit. Dei, c. 9. Greg. hom. 26. in Evang. Chrys. lib. 3. de Sac. et hom. 5. de verbis Esaiae Hier. ad Heliod.

i Conc. Latera. cap. 21. Vormatien. cap. 25. Orig. hom. 1. et 2. in Psalm. 37.

VI.

Quomodo Patres de Confessione scribunt?

Hi certe non modo confitendi utilitatem et usum, qui semper in Ecclesia fuit, sed jus etiam atque necessitatem nobis magno consensu commendant comprobantque.

Digitized by Google

Ut vero e plurimis paucos, et probatissimos illos testes producamus, sic habet in primis Magnus ille [a] Basilius: Necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim et hi, qui antiquitus poenitebant, inveniuntur apud Sanctos confessi esse peccata sua.

a Quaest. 288. in regul. breviorib. Vide etiam q. 229. et in epist. 3. can. ad Amphiloch. can. 73.

Tum [b] Cyprianus, Confiteantur, inquit, singuli, quaeso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui delinquit, in seculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio cujusque, et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.

b De laps. Vide eundem lib. 3. epist. 14. et lib. 1. epist. 3. ad Cornelium.

Accedit his Augustini sententia, qui docet in hunc modum: Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: [c] *Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo?* Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus Evangelium Dei? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus? Tum alibi: [d] Sunt, inquit, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt sive dedignantur se ostendere

Hom. 49. ex 50. Item homil. 41. et 50.

c Matth. 18, 18. Joan. 20, 23.

d Lib. 2. de visit. infirmor. cap. 4.

Digitized by Google

Sacerdotibus, quos tamen inter lepram [e] et lepram discernere per Legislatorem constituit Dominus. Sed nolo, ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, vel tabescens prae rubore, vel cervicosus prae indignatione. Nam ipsius similiter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium.

[e] Levit. 13, 1-3. sq. et 14, 1-7. Lucae 17, 14. Matth. 8, 4.

Nec minus est evidens, quod Leo ille Magnus scriptum reliquit: [f] Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus Satisfactionem poenitentiae darent, et eadem salubri Satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

[f] Epist. 91. ad Theodorum, Foroiul. episc. Vide eundem quaest. 80. ad Episc. Campaniae.

[g] 1. Tim. 2, 5.

VII.

Quid porro de Satisfactione sentiendum est?

Id videlicet, quod alia Christi Redemptoris propria, alia fidelium poenitentium communis sit Satisfactio.

Gregor. in ca. 9. lib. 1. Reg. Basil. quaest. 12. in regulis brevioribus.

Digitized by Google

Illa semel in [a] corpore Christi crucifixi, dum agnus ille mundi peccata tulit, peracta est, ut qui natura sunt [b] irae filii, Deo reconcilientur: Haec vero, quae ad poenitentes pertinet, a Christi membris in Ecclesia quotidie peragitur, cum poenitentes post Confessionem ea quae Sacerdos absolvens injunxit, perficimus: aut cum ultro quidem dignos poenitentiae fructus edimus, quibus anteactae vitae errata sive commissa aliqua saltem ex parte compensemus.

Haec * vindicatoria simul et emendatoria quaedam est Satisfactio, et Redemptoris Christi beneficium atque Satisfactionem adeo non obscurat, ut magis etiam commendet illustretque. Illa enim praeeunte, ac praecipue [c] cooperante, juxta divinam scripturam judicium [d] facimus, et justitiam, delicta nostra contra nos ipsos vindicantes, et residuas in nobis peccatorum reliquias diluentes, Deique gratiam nobis pleniorem conciliantes atque promerentes: denique hac ratione testantes, nos Christi crucem libenter amplecti, [e] abnegare nos ipsos, mortificare carnem, veteris nos hominis odio commotos ad perfectiora conniti, dum adversus depravati animi motus ardenti zelo fortiterque certamus.

Quo quidem pacto Satisfactioni operam dabant [f] David, Ninivitae et alii, quos in cilicio, cinere, gemitu, luctu,

a Hebr. 9, 25. 26. Ephes. 5, 2. 25. 26. sq. 4, 32. 1. Joan. 2. 2. Joan. 1, 29.
b Ephe. 2, 3. 4. 2. Cor. 5, 18. 19. Cypr. lib. 3. epist. 8. et 14. Tertul. de poenit. Conc. Trid. sess. 14. c. 8. et 9. de sacramento poenitentiae.
* Exod. 32, 31-35. Num. 12, 9. 15. 14, 19-39. et 20, 9-12. 23-30. Psalm. 98. 6-8. 2. Reg. 12, 7-13. sq. 24, 10-17. Job. 20, 11. Prov. 11, 31. Eccli. 5, 2. 3. sq. Greg. lib. 9. moral. cap. 27. Aug. lib. 22. contra Faust. c. 67.
c Chrys. hom. 80. ad pop.
d Esa. 56, 1. Ezech. 18, 21-27. Hierem. 22, 3. 2. Cor. 7, 9-11. Psalm. 50, 3. et Chrys. ibidem et in 3. c. Matth. Coloss. 3, 6.
e Lucae 9, 23. Matth. 16, 24. Rom. 6, 2. 6. Ephes. 4, 22. 23. Coloss. 3, 1-4.
f 2. Reg. 12, 3-17. 1. Paral. 21, 16. Psal. 34, 13. 14. 68, 11. 12. Jonae 3, 5-10. 3. Reg. 21, 27. 29. 1. Mach. 2, 14. 3, 46. 47. 2. Mach. 3, 19. Matth. 11, 21. 22. Lucae 10, 13. 14. Judith. 4, 8-17. 8, 5. 6. 14-17. 7, 4. 9. 1. Joel. 2, 4. Daniel. 9, 3. Job. 42, 6. Jer. 6, 26. 4, 8. 25, 34. 48, 37. 49, 3. Ezech. 7, 18. Thren. 2, 10.

Digitized by Google

jejuniis aliisque afflictionibus poenituisse constat, qui et hinc Deo grati et approbati fuisse leguntur. Quam poenitentiae partem Scriptura confirmans, nobisque commendans clamat: [g] *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.* Et alibi: [h] *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et quidem [i] Paulus docet, tristitiam quae secundum Deum est, operari vindictam, et generatim admonet: [k] *Si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino.*

g Joelis 2, 12.

h Ezech. 18, 39.

i 2. Cor. 7, 10.

k 1. Cor. 11, 31.

Ea propter non est, cur de Satisfactionis nomine, quod certe Patribus est perquam familiare, disceptemus, cum in scripturis res ipsa perspicue proponatur.

VIII.

Profer aliquot Patrum de Satisfactione sententias.

Cyprianus ille, sanctissimus Martyr et testis gravissimus, in hunc modum docet: [a] Deus quantum Patris pietate indulgens est, tantum judicis majestate metuendus est. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit: poenitentia crimine minor non sit: orare oportet impensius, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus insomnes ducere, tempus omne lachrymosis occupare lamentationibus, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio volutari et

a Ser. de laps. Idem lib. 1. epist. 3. ad Cornel. et lib. 3. epist. 14. ad clerum.

Digitized by Google

sordibus. Idemque rursus: [b] Rogandus est Deus, et Satisfactione nostra placandus, delicta nostra reputanda, actus nostri et animi secreta volvenda, conscientiae merita ponderanda. Nec multo post: Poenitentiae iter quod ostendit antistes, amplectamur: remedia vitalia, quae de scripturis caelestibus ille depromit, assumamus, et ex vulneribus etiam occultis, quorum exomologesin fecimus, exponentes apud eum conscientiae nostrae pondus, salutarem medicinam exquiramus, nec cessemus in agenda poenitentia atque in Domini misericordia deprecanda; ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta Satisfactione cumuletur.

b Serm. de laps. Vide eundem de eleëmosyn.

Et [c] Augustinus clarissime dixit: Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quae facta sunt, satisfiat Deo per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

c Homil. 50. ex homiliis 50. cap. 15. Vide etiam in Enchirid. ca. 65. 70. et 71.

Tum apud Hieronymum [d] legimus in hunc modum: Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina et serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda.

d In Epitaph. Paulae ad Eustoch. epist. 27. et Chrysost. Homil. 10. in Matth.

Eodem spectans [e] Ambrosius, Qui agit poenitentiam, inquit, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum; sed etiam emendatioribus factis

e Lib. 2. de poenit. c. 5. Item lib. 1. c. 16.

Digitized by Google

operire et tegere delicta superiora, ut ei non imputetur peccatum. Atque idem alibi: [f] Grandi plagae alta et prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem. Ita demum Gregorius: [g] Cogitandum est summopere, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere; quatenus per hoc conditori suo satisfaciat.

[f] Ad virginem lapsam, cap. 8. Similiter lib. 1. de poenit. cap. 2.

[g] Hom. 34. in Evang. Vide Emisenum ad monachos, homil. 5. et 10. Item Theodoretum in epitome divinorum decret. cap. de poenit. et lib. 4. haeretic. fabularum de Andianis.

IX.

Estne etiam satisfactioni post mortem locus?

Ad hoc explicandum varia morientium conditio est observanda. Horum enim alii gratiam Dei, vitaeque innocentiam ad finem usque conservant. Ad quos pertinet Manassis [a] dictum, Justis et iis, qui non peccaverunt, ut Abraham, Isaac et Jacob, poenitentiam non esse positam. Alii peccaverunt quidem, et ex accepta Dei gratia exciderunt, sed criminum sordes dignis poenitentiae fructibus in hac vita expiarunt: ut [b] David, [c] Ezechias, [d] Petrus, [e] Magdalena. Utrumque hoc genus nulla post mortem eget Satisfactione, sed ab ea prorsus est liberum.

[a] In oratione Manassis poenitentis.

[b] 2. Reg. 12, 13-17. Psalm. 6, 7.

[c] Esa. 38, 15.

[d] Matth. 16, 74.

[e] Lucae 7, 37-50.

At longe plures sunt homines medii generis morientes, nec valde mali, ut [f] Augustinus indicat, qui peccatorum suorum poenitentiam in vita perfectam non praestiterunt: ideoque per ignem [g] salvandi, ut quod Satisfactioni pro hac vita convenienti defuit, in

[f] In enchi. cap. 110. Beda in c. 11. proverb.

[g] 1. Cor. 3, 11-15. Sic interpretatur eum locum idem Aug. in Psal. 37. lib. 21. de civit. Dei, c. 26. de fide et oper. c. 16. et in Psal. 80. Orig. hom. 12. et 13. in Hiere. Item 25. in Num. et 6. in Exod. Greg. lib. 4. dial. c. 39. Beda in 3. cap. Luc.

Digitized by Google

altero seculo justitiae divinae persolvatur. [h] *Nihil* enim *coinquinatum intrabit in sanctam illam civitatem.*

Hujusmodi ergo defunctis, ut ad quaestionem propositam respondeamus, subeunda est quaedam et gravis illa profecto post mortem satisfactio. Quam interim Deus pro ingenti clementia sua relaxare [i] consuevit, pietate vivorum intercedente, ut defuncti, suorum in Ecclesia fratrum, adeoque membrorum adiuti suffragiis, a peccatis horrendisque peccatorum poenis releventur. Et huc spectat, quod sacrae scripturae tradit auctoritas: [k] *Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Unde laudatus est Judas ille Machabaeus, quod singulari religione ductus, pro mortuorum peccatis, non preces modo, sed etiam sacrificium [l] offerri solicite atque sumptuose curarit.

In hanc sententiam concedunt venerandae [m] Synodi et Patres, qui veram Ecclesiae doctrinam tradiderunt. Ex quibus ut unus pro multis, idemque fide dignissimus testis [n] Augustinus proferatur: In Machabaeorum libris (inquit) legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam omnino in scripturis veteribus legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quae Domino Deo ad ejus altare fun-

h Apoc. 21, 27. Psal. 14, 1. 2. sq. et 23, 3. 4.

i Aug. ut supra, et l. 21. de civit. c. 24. homil. 16. ex 50. et serm. 41. de sanctis. Greg. 4. dial. ca. 39. Bernard. de obitu. Huberti. Damasc. in ser. de defunctis. Concil. Flor. Trid. sess. 6. can. 30. et sess. 25. par. 1.

k 2. Mach. 12. 46. Vide etiam 1. Reg. 31. et ibid. Bedam. Item 2. Reg. 1, 11. 12. 3, 31-36. Tob. 4, 18. Eccli. 7, 37. 17, 18. 19. 38, 24. Hierem. 16, 5-7. 2. Tim. 1, 16. 1. Joan. 5, 16.

l Ibidem.

m Cocil. 4. Carthag. can. 79. et 95. Tolet. 11. can. 12. Triburicu. can. 31. Braccar. 1. can. 34. Florent. Trident. sess. 25. et sess. 22. ca. 2. et can. 3.

n Libr. de cura pro mortuis gerenda. cap. 1.

Digitized by Google

duntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Et rursus alibi: [o] Purgatorias poenas nullas futuras opinandum est, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium. Et quid illis verbis luculentius? [p] Orationibus sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleëmosynis, quae pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam peccata eorum meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia. Sic Augustinus ante mcc. annos, ut interim eo vetustiores etiam, [q] Cyprianum, [r] Origenem, [s] Dionysium, [t] Clementem, in hac doctrina maxime consentientes, praetermittamus.

Quocirca [u] Chrysostomus palam hortatur, ut pro viribus et ipsi defunctos juvemus, et alios qui pro ipsis orent, commonefaciamus. Non enim temere ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Ita Chrysostomus.

Hoc est demum, quod adversus [x] Aerianos Ecclesia fida Scripturae interpres usque docuit, ignem [y] esse quendam purgatorium seu emendatorium, ut [z] Augustinus appellat, eoque poenas peccatorum, quas hic Poenitentia perfecte non diluit, defunctis in

o De civit Dei, l. 21. c. 16. Vide Matth. 12, 31. 32. 5, 25. 26. Malach. 3, 1-3. Philip. 2, 10. 11. Apoc. 5, 3. 13.

p Aug. de verb. Apost. ser. 32. Similiter Isidorus l. 1. de officiis eccle. ca. 18. Rabanus l. 2. de institutione cler. cap. 44.

q Lib. 4. epist. 8. et l. 1. epist. 9.

r ut supra.

s De Eccles- hierar. c. 7.

t Epist. 1. et l. 6. Constitut Apost. cap. 29.

u Hom. 3. in ep. ad Philip. et 41. in 1. Corinth. et 69. ad pop. Damasc. in orat. de defunctis. Athan. et Nyss. apud Damas.

x Epiph. haeres. 75. et August. haeres 53. Item Damasc. de haeresibus.

y Trident. sess. 25. et 6. Vide et Concil. Florent.

z In Psal. 37. et lib. 2. de gen. contra Manich. c. 20. Greg. in 3. Psal. poenit. et l. 4. dial. c. 39. Bern. serm. 66. in Cantic.

Digitized by Google

Christo fidelibus luendas et expiandas esse, nisi, prout [a] Augustinus loquitur, viventium suorum pietate illi releventur.

[a] In Enchirid. c. 110. Et de cura pro mortuis gerenda cap. 1. 4. et 18.

X.

Quae commendatio ac dignitas est Poenitentiae?

Haec est Evangelicae praedicationis exordium, angelorum in caelis gaudium, via in terris arcta, et angusta porta, per quam fideles ad vitam contendunt, et violenti rapiunt regnum caelorum. [a] Haec lapsos erigit, saucios curat, imbecilles roborat, mortuos vivificat, perditos restituit: omnia demum, quae peccatum vitiat, Poenitentia in nobis redintegrat. Hac veteris vitae odium, nostrique contemptum et omnem submissionem testamur: hac ipsa duce lugentes [b] consolationem, saucii curationem, humiles vero exaltationem reportamus. Haec est, qua daemones et vitiorum pestes superamus, qua meritas [c] poenas avertimus, Dei placamus iram, conciliamus gratiam, et gloriam aeternam comparamus.

Matth. 3, 1-8. 4, 17. Marc. 1, 4. 14. 15. Lucae 15, 7-10. Matth. 7, 13. 14. et 11, 12.

[a] Lib. de vera et falsa poenit. c. 1. Basil. in hom. de poenitentia Chrys. in homil. et serm. de poenitentia.

[b] Matth. 5, 4.

[c] Hierem. 18, 6-9. Ezech. 18, 21-23. 26-28. 30-32. et 33, 10-16. Jonae. 3, 5-10. Matth. 3, 7. 8. 2. Cor. 7, 10. Actor. 11, 18.

Hinc illae Christi voces in Evangelio: [d] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* [e] *Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.* [f] *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* At is demum veram poenitentiam agit, ut Cypriani verbis haec omnia concludamus, qui Dei et Sacerdotis praeceptis obediens, et obsequiis suis et operibus justis Dominum promeretur.

[d] Matth. 4, 17.

[e] Lucae 5, 32.

[f] Lucae 13, 5.

Cyprian. l. 3. epist. 28.

Digitized by Google

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

I.

Quid de Sacramento extremae Unctionis credendum est?

Id ipsum nempe, quod Catholica [a] Ecclesia constanter docet, signum hoc esse sacrum, in consecrato oleo institutum, ut per illud caelestis virtus ad salutem, non animae solum, sed et corporis, applicetur aegrotis ex divina institutione.

Cui Sacramento testimonium longe clarissimum praebet Jacobus Apostolus, cum in haec verba scribit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

a Concil. Constant. sess. 15. et Florent. et Trident. sess. 14. Innoc 1. epist. ad Decentium Eugub. c. 8. Petrus Damianus ser. 1. in dedicatione Eccles. Bern. in vita Malachiae episc. Conc. Wormatien. c. 72. Jacob. 5, 14. 15. et ibidem Beda.

II.

Quid his verbis docet Apostolus?

Primum Sacramenti hujus ostendit elementum, seu materiam oleum esse, Pontificali benedictione (ut recte ait [a] Beda) consecratum. Significat autem [b] hilaritatem animi et confirmationem internam, quae per Dei gratiam Sacramenti hujus virtute ab aegroto percipitur.

Deinde per Apostolum designatur Sacramenti minister proprius, nimirum [c] Sacerdos, qui sacram hanc unctionem cum orationibus decenter

a In c. 6. Marc. et in 8. Luc. et c. 5. Jac. Innocen. 1. ut su. Concil. Meldens. ca. 1. apud Burchard l. 4. c. 75. et Jvonem part. 1. c. 269.

b Theophylact. in c. 6. Marci.

c Chrysost. l. 3. de Sacerdot. et Cyril. l. 2. in Leviticum.

Digitized by Google

exerceat. Nec frustra de Apostolis est scriptum: [d] *Ungebant oleo multos aegrotos, et sanabantur.*

d Marc. 6, 13. et ibidem Theoph. et Beda.

Praeterea qui suscipiunt hoc Sacramentum, a Jacobo dicti sunt infirmi: quoniam, ut Ecclesiae mos est, in gravibus et periculosis infirmitatibus tantum sacra isthaec unctio celebratur.

III.

Quis est Sacramenti hujus fructus et effectus?

Confert primum ad remissionem [a] peccatorum, quae quidem ab aegroto Poenitentiae remediis non sunt expurgata, ut decumbentis anima peccatorum suorum onere ac morbo in primis levetur.

a Bern. in vita S. Malachiae. episc. Conc. Trident. ut supra.

Deinde prodest ad corporalem infirmitatem vel [b] depellendam, vel alleviandam, quatenus expedit eam aegroto recuperare.

b Ibidem Bern.

Postremo ad consolationem et fiduciam sub ministrandam valet, qua sane in supremo illo agone exituque animae opus est maxime, quando et cum doloribus acerbissimis, et cum horrendis daemonibus [c] morituro est gravissime conflictandum. Unde licet salus corporis aegroto non restituatur, ut qui post acceptam hanc unctionem moritur saepe, tamen gratia in hoc Sacramento peculiaris praebetur ad morbi vim, molestiasque constantius perferendas, et ad mortem ipsam facilius excipiendam. Atque hoc est, quod per Apostolum suum Deus pro-

c Cyril. Alex. in orat. de exitu animae. Gregor lib. 24. moral. cap. 17. et 18. Homil. 39. in evangel. Climac. gradu 7. Euseb. Emis. homil. 1. ad monach.

Digitized by Google

misit: [d] *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

d Jac. 5, 15.

Ad quos quidem designandos effectus, etiam olei natura, seu nativa vis pulchre congruit, ut explicat [e] Theophylactus. Quocirca tenendum est prorsus, quod saluberrime monet [f] Augustinus: quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: [g] *Infirmatur aliquis? inducat presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

e In ca. 6. Marc.

f Serm. 215. de tempore. Vide etiam de rec. Cathol. conversat. et de visit. infirmorum, lib. 2. c. 4. Item in specul.

g Jac. 5, 14. 15.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

I.

Quid est ordinis Sacramentum?

Est, quo singularis gratia, ac potestas spiritualis quibusdam traditur, ut munus in Ecclesia ex professo gerant.

Hoc est Sacramentum, per quod, velut ostium, necessario intrant legitimi dispensatores [a] mysteriorum et eloquiorum Dei, ministri Christi et Ecclesiae, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et quotquot demum in Ecclesiasticis muniis obeundis rite et cum auctoritate versantur.

Nemo enim, ut scriptura [b] testatur, *sibi sumit aut sumere debet honorem,*

Aug. l. 2. cont. epist. Parm. c. 13. et de bono conjug. cap. 24. et li. 9. contra Donatist. cap. 1. Leo epist. 81. ad Dioscor. Greg. in c. 10. l. 1. Regum. Concil. Flor. Trid. sess. 23. Amb. in 12. c. 1. ad Corinth. Theoph. in c. 19. Lucae.

a 1. Cor. 4, 1. Malach. 2, 7. 1. Tim. 3, 1. 2. 8. 5, 17. Ephes. 4, 11. 13. 1. Cor. 14, 2. 3. 19. 34. 12, 28.

b Hebr. 5, 4. Actor. 1, 24. Cyprian. l. 4. epist. 2. Tertul. de praescript. Haeretic.

Digitized by Google

exercendorum videlicet ministeriorum Ecclesiae, *nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron:* hoc est, nisi Sacramento visibilis Ordinationis initiatus, et ab Episcopo legitime ordinatus missusque [c] fuerit ad opus certi ministerii, quod in Ecclesia pro suo statu gerat juxta leges divinae et Apostolicae Traditionis.

c Matth. 10, 1. 5. sq. Lucae 9, 1. 2. Marc. 16, 15. Joan. 20, 21. 17, 18. Act. 13, 2. Tit. 1, 5.

II.

Nonne omnes Christiani ex aequo sunt Sacerdotes?

Dici quidem [a] ita possunt hactenus, quod sicut Sacerdotes externa quaedam sacrificia et ministeria sacra exercere solent: sic quotquot sint in Christo renati, spiritualia quaedam [b] sacrificia, nimirum orationes, laudes, gratiarum actiones, carnis mortificationem, et id genus alia quotidie possint ac debeant offerre, seduloque exercitare. Ut hinc spirituales coram Deo Sacerdotes, et spirituales offerre hostias in scriptura dicantur.

a Apoc. 1, 5. 6. 5, 10. 1. Pet. 2, 9.

b 1. Petr. 2, 9. Rom. 12, 1. Psalm. 49, 23. Psalm. 50, 19. Philip. 4, 18. Heb. 13, 15. 16. Vide Basil. l. 2. de Baptis. cap. 8. Aug. 20. de civit. c. 10. Leo serm. 3. in anniver. Pontificat. Ambros. l. 4. de Sacrament. cap. 1.

Verum si proprie nomen hoc Sacerdotii accipimus, non sunt promiscue Sacerdotes omnes, sed hi dumtaxat, quibus auctoritas Ecclesiae, ut Sacramentorum [c] proprii sint ministri, demandavit, atque ad consecrandum offerendum, dispensandumque sacram Eucharistiam, et ad peccata hominum tum remittenda, tum retinenda, jus contulit.

c Ignatius ad Heron. Chrys. l. 3. et 6. de sacerd. et homil. 60. ad popul. Hier. ad Helicdorum, et adversus Luciferianos. Idem ad Evagrium. Victor lib. 2. de persecutione Vandalica. Cyprian. lib. 1. epist. 2. ad Cornel.

Ac de his quidem novae legis Sacerdotibus, seu Presbyteris ita Paulus:

Digitized by Google

Qui bene [d] *praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Id quod certe congruere non potest mulieribus, [e] quas in Ecclesia idem Apostolus docere vetat, ac tacere jubet: neque omnino [f] plebeis convenit, quorum est ovium more pasci, non [g] pascere: regi, non regere: nec se praeferre, sed subjicere et subjacere praepositis, et quaecumque hi, sive boni, sive mali, in cathedra sedentes dixerint, audire, servare et facere, ut Verbo Dei praeceptum legimus. Quapropter sicut in Ecclesia triumphante Angeli sunt [h] ordine ac potestate differentes, qui injuncta sibi munia decenti quadam observata dispositione obeunt, ac fideliter exequuntur: sic militans etiam Ecclesia, [i] quae domus Dei, et velut castrorum acies quaedam ordinata est, ministros habet sibi peculiares, a reliquis Christianis sejunctos, et pulchro ordine inter se dispositos ad publica et communia Ecclesiae ministeria in terris peragenda: nimirum ut pro Christiano populo in his [k] quae ad Deum salutemque animarum spectant, suas illi operas ex professo ac pro dignitate praestent.

d 1. Timoth. 5, 17.

e 1. Tim. 2, 11. 12. 1. Cor. 14, 34. Tertul. de praescript. Epiphan. haeresi. 42. et 49.

f Leo epist. 62. ad Maximum. Antiochenum.

g Joan. 10, 12-16. 21, 15. 16. 17. 1. Pet. 5, 2-4. et 2, 13. 17. 18. 25. Heb. 13, 17. Rom. 13, 1. Matth. 23, 2. 3. Lucae 10, 16. 1. Joan. 4, 6.

h Ephes. 1, 20. 21. Colos. 1, 16. Daniel. 7, 10. Dionys. de caelest. hierar. c. 10.

i 1. Timoth. 3, 15. Cant. 6, 9. Anaclet. epistol. 1. 2. et 3. Isidor. lib. 2. de Eccles. offic. ca. 5. et sequentibus.

k Heb. 5, 1. 8, 3. et 13, 17. 2. Cor. 5, 18. 20.

III.

Quo loco Scriptura testimonium huic Sacramento praebet?

Illic scilicet, ubi de Apostolis docet, quod in Ecclesiae ministris deligendis,

Tit. 1, 5.

Digitized by Google

instituendis, atque ordinandis usi sunt [a] manuum impositione. Hoc enim veluti symbolo certo et efficaci praesentis gratiae, quae in Ordinum collatione exhibetur, et [b] accipitur, Sacramentum illud nobis est commendatum.

Quare Paulus ad Timotheum a se creatum Episcopum scribens, et acceptae in hoc Sacramento gratiae illum admonens, [c] *Noli, inquit, negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Et rursus ad eundem: [d] *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

Quoniam vero permagni [e] refert, quales in Ecclesia quibuscunque muniis praeficiantur, et Ecclesiasticam potestatem ex hoc Sacramento accipiant, ad omnem Episcopum dicitur: [f] *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

a Act. 6, 5. 6. et 13, 3. 4. 1. Tim. 4, 14. 5, 22. 2. Tim. 1, 6.

b Ambr. lib. de Dignit. sacer. c. 5. Niceph. lib. 12. cap. 14.

c 1. Tim. 4, 14. et ibidem Theoph. et Haymo.

d 2. Tim. 1, 6. et ibidem Theophylact.

e Leo in epist. 87. ad episcopos Mauritaniae. Synod. Rom. sub Silvestro can. 11. Trident. sess. 23. c. 7. et 12. Reformationis.

f 1. Tim. 5, 22.

IV.

Quot gradus in se continet hoc Sacramentum?

Generatim quidem minores Ordines majoresque continet: minores scilicet [a] quatuor, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, et Acolythorum: majores vero tres, nempe Subdiaconorum, Diaconorum, ac Presbyterorum. Ex Presbyteris porro alii majores, alii minores a Christo [b] instituti inveniuntur.

a Conc. Carth. 4. Item Laodic. et Trident. Ignatius ad Antioch. Dionys. eccles. hierarch. ca. 3. Euseb. hist. li. 6. ca. 35. ex epistola Cornelii ad Fabium.

b Lucae 9, 1. 2. et 10, 1. et ibidem Beda. Clemens epist. 1. Anaclet. epist. 2 et 3.

Digitized by Google

Majores enim presbyteri, Apostoli sunt, eorumque successores [c] Episcopi, magna sane potestate, et reverenda dignitatis praerogativa excellentes. Nam horum est (Scriptura [d] teste) attendere sibi et universo gregi, quem a Spiritu sancto curandum pascendumque accipiunt, regere Ecclesiam, ea quae desunt, corrigere, per civitates item Presbyteros constituere.

c Hieron. ad Marcellam ep. 54. Cypr. l. 4. epist. 9. et l. 3. epist. 9. Ignat. ad Philad. Aug. in Psal. 44.

d Actor. 20, 28. 1. Pet. 5, 1. 2. Hebr. 13, 17. Tit. 1, 5. Act. 14, 23.

Minores vero Presbyteri sub Episcopis, sicut septuaginta [e] duo illi discipuli sub Apostolis, in Ecclesiae ministerio deserviunt, dona et sacrificia [f] pro peccatis offerunt, atque in curanda Dominicam esse, tanquam [g] operarii, secundum illos existunt.

e Lucae 10, 1. Leo epist. 88. ad Episc. Gal. et Germ. Innoc. 3. l. 1. de myst. altar. ca. 6.

f Hebr. 5, 1. 8, 3.

g Matth. 9, 37. 38. Lucae 10, 2.

Ac minorum quidem quatuor ordinum Clerici hoc proprium habeant munus, [h] ut Sacerdotibus et Episcopis multis in rebus praesto sint, ut ad sacra convenientem populum ordinent, utque paulatim ipsi velut quibusdam gradibus ad majora munia in Ecclesia obeunda rite instituantur atque praeparentur.

h 4. Carthag. can. 6. et sequent. Isidor. l. 2. de off. eccles. cap. 11. et sequent. Rabanus lib. 1. de institutione cler. c. 9. et seq. Concil. Aquis. can. 1. sub Ludovico Pio cap. 2. et sequent. Rom. sub. Silvest. cap. 1. 3. 7. et 9.

Caeteri vero majores [i] tres ordines cum in aliis, tum in sacris Eucharistiae mysteriis majorem conferunt potestatem. Igitur Subdiaconus et Diaconus dictis jam mysteriis tamquam administri adesse, ipsisque Sacerdotibus proximi esse possunt. Et quamquam quod ad Ordinis Sacramentum, ac sacrificandi auctoritatem attinet,

i 4. Carthag. c. 3. et sequent. Isidor. lib. 2. de off. eccl. cap. 7. et seq. Raban. l. 1. cap. 6. et seq. Aquisgran. cap. 6. et seq.

Digitized by Google

discrimen inter Episcopos, et Sacerdotes non sit, [k] tamen sunt illi Sacerdotibus multo excellentiores, si Ecclesiae gubernandae, si pascendarum animarum jus, tum baptizatos confirmandi, et Clericos ordinandi potestatem consideremus.

k Damasus epistola 4. Isidor. l. 2. de offic. eccl. cap. 7. Hier. contra Luciferianos. Leo epistola 88. ad episcop. Galliae et German. Conc. Hispal. 2. ca. 7. Epiph. haeres. Aerianor.

Verum praesentis instituti non est, quae singulis Ordinibus functiones et leges praescriptae sint, enucleare. Illud sane constat, magno in pretio cunctos Ordines habendos, ac sedulo retinendos esse. Firmum enim testimonium illi praebet sacra Traditionis Apostolicae, [l] Ecclesiasticaeque observationis disciplina, quae ad nos usque transmissa perdurat.

l Ambr. in ca. 4. ep. ad Ephes.

V.

Quomodo veteres Patres de hoc Sacramento scribunt?

De hoc Augustinus, Doctor vere Catholicus, suam et Ecclesiae sententiam [a] his verbis manifeste declarat: Quod insufflasse in discipulos Dominus legitur post dies paucos resurrectionis suae, et dixisse, [b] *Accipite Spiritum sanctum*, Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in Traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur, idcirco cum regula eis et forma traditur hujus disciplinae, dicitur eis: *Accipite Spiritum sanctum*. Et quia vere ad jus Ecclesiasticum pertinet, statim subjecit, dicens: *Cujus tenueritis peccata, tenebuntur: et cujus*

a Lib. quaest 93. veteris et novi Testament. vide lib. 2. contra ep. Parmeniani c. 13.

b Joan. 20. 22.

Digitized by Google

remiseritis, remittentur ei. Inspiratio ergo haec, gratia quaedam est, quae per traditionem infunditur Ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Unde Apostolus dicit ad Timotheum: [c] *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* Semel ergo fieri oportuit, ut de caetero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur. Hucusque Augustinus.

c I. Tim. 4, 14.

Extant et Apostolorum Canones, in quibus hoc modo [d] statuitur: Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur: Presbyter ab uno Episcopo ordinetur: ita Diaconus, et reliqui Cleri. Tum [e] infra: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor sacram Quadragesimam non jejunaverit, aut quartam feriam, aut Parasceven (hanc sextam feriam nunc dicimus) Ordine movetor, nisi forte infirmitas corporis impediat.

d Can. 1. et 2.

e Canon. 68. Vide insignes Canones distinctione 59. et sequentibus.

Cajus [f] vero ante annos MCCC. Pontifex et Martyr illustris, hos ipsos gradus et Ordines sigillatim recenset, quum ait: Si quis Episcopus esse meruerit, primo Ostiarius, deinde Lector, post Exorcista, deinde sacretur Acolythus: de hinc vero Subdiaconus, Diaconus, et postea Presbyter: exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.

f In epistola ad Felicem. Vide Damasum in pontificali, de eodem Cajo.

Laudat igitur [g] Cyprianus Cornelium Episcopum, ac bonis omnibus tum

g Lib. 4. epist. Sozimus epist. a l. Hesychium.

Digitized by Google

in Clero, tum in populo eundem laudabili praedicatione commendari scribit: quia non ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit: tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec vi invasit; sed quietus, modestus, castus, humilis, verecundus, demum et coactus excepit.

Quos igitur Ordines vetus et Apostolica probavit Ecclesia, sicut [h] Dionysii, [i] Anacleti, [k] Ignatiique scripta declarant, quos aetas etiam omnis complexa posterior, eos praesens Ecclesia non potest sane non conservare atque defendere.

h De Eccles. hier. cap. 5. et ad Demophilum.

i Epistola 2.

k Ad Antiochenses.

VI.

Quis est Ordo in Ecclesia magis celebratus?

Presbyterorum Ordo, sive Sacerdotium: de cujus ingenti semperque reverenda dignitate Chrysostomus et Ambrosius libros integros ediderunt. De quo magnus etiam ille Ignatius, [a] Sacerdotium, inquit, summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt: quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum primogenitum totius creaturae, et solum natura principem Sacerdotem Dei. Sic ille. Quin et dilucide testatur divinum oraculum: [b] *Labia Sacerdotis custodi-*

a Epistol. ad Smyrnens. Vide et Chrys. lib. 3. de sacerdot. Item homil. 4. et 5. de verbis Esaiae, vidi Dominum.

b Malach. 2, 7. Aggaei 2, 12. Gregor. curae past. pa. 2. c. 4.

Digitized by Google

unt scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. Et rursus: [c] *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israël; cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Hinc et Apostolus jubet: [d] *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Idque ad Timotheum Ephesiorum Episcopum scribitur, sicut et illud jam ante citatum: [e] *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.*

c Deut. 17, 12. 13. Et Cypr. l. 1. epist. 3. et lib. 3. epist. 9. Greg. l. 12. epist. 31. ad Felicem.

d I. Tim. 5, 19. Vide 2. epistol. Fabiani.

e I. Tim. 5, 17.

VII.

Quid vero de malis Sacerdotibus est sentiendum?

Divina isthaec est ordinatio, quae non potest aboleri, ut non boni modo, sed mali quoque sacerdotes in Ecclesia [a] honorentur. Vult enim in suis ministris agnosci, recipi, audiri atque observari ille qui dixit: [b] *Super cathedram Moysi sederant Scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite: secundum autem eorum opera nolite facere, dicunt enim et non faciunt.*

a Eccli. 7, 31-33. Matth. 10, 40. Lucae 10, 16. Joan. 13, 20. Chrysost. hom. 2. in 2. Timoth. et 65. in Gen. Origen. homil. 7. in Ezech. Bern. serm. 66. in Cant. Aug. epist. 137.

b Matth. 23, 2. 3. August. serm. 49. de verb. Dom. Chrys. hom. 85. in Joan.

Caeterum inter malos delectus quidam habendus est, ut quod ad munus auctoritatemque docendi spectat, illis tantum fidem obedientiamque deberi intelligamus, qui ab Episcopis legiti-

Digitized by Google

me ordinati ac missi, sanam Ecclesiae doctrinam profitentur: ab aliis vero ut hostibus et pestibus sedulo caveamus.

Qua de re sapientissime monet, atque hunc in modum docet antiquissimus Irenaeus: [c] Iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, et qui successionem habent ab Apostolis, et qui cum Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt: reliquos vero qui absistunt a principali successione, quocumque loco colliguntur, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos. Nec multo [d] post ab omnibus talibus absistere oportet: adhaerere vero his, qui Apostolicam, sicut praediximus, doctrinam custodiunt, et cum presbyterii Ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa prestant, ad confirmationem et correctionem reliquorum. Haec Irenaeus ille, qui sancti Joannis Evangelistae discipulum Polycarpum praeceptorem audivit. Nec aliter Tertullianus [e] docet, qui haereticis hoc exprobrat, dicens: Ordinationes eorum temerariae, leves, et inconstantes. Nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut eos gloria obligent, quia veritate non possunt, nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam

c Lib. 4. c. 43. Vide eundem lib. 3. cap. 2. et 3.

d cap. 44. lib. 4.

e Lib. de praescriptionibus adversus haereticos.

Digitized by Google

et laicis [f] sacerdotalia officia injungunt. Hucusque Tertullianus, perpulchre nobis depingens non suae tantum, sed hujus etiam aetatis praeposteros mores; et profanos in turbandis sacris ordinandisque ministris conatus sectariorum ostendens.

[f] Vide et Epiphan. haeres. 42. et 49.

VIII.

Quae virtus est hujus Sacramenti, et quis effectus?

Eximia certe virtus est, et effectus multiplex. Nam qui septem his Ordinibus, quos diximus, rite initiantur, Dei consequuntur gratiam [a] et potestatem spiritualem, ut quae ad Ordinum ipsorum functiones proprias pertinent, salubriter exequantur, ac inter Deum Deique populum idonei ministri sint constituti. Unde Ambrosius: [b] In loco Ordinis officii Ecclesiastici positus, gratiam habet, qualisuis sit, non utique propriam, sed Ordinis per efficaciam Spiritus sancti.

[a] Concil. Florent. et Trident. et August. lib. 2. contra epistolam Parmeniani c. 13. et Gregor. in cap. 10. lib. 1. Regum.

[b] In cap. 12. 1. ad Corinth.

Habent praeterea iidem [c] ordinati certum ex eo et illustre testimonium, quo se ministeriaque sua commendent et comprobent aliis. Ita fit, ut iis Ordinibus insigniti, et in ministerium Ecclesiae segregati, recte cognoscantur, et suo in loco habeantur, meritoque honorentur. Vae autem iis, [d] quos non Aaronis a Deo vocati exemplum impellit, sed novandarum rerum studium ac animi tumor ad instar Oziae Regis, ad Sacerdotalis dignitatis mu-

[c] Actor. 6, 5-10. 13, 2-4. 14, 21. 22. 15, 2. 41. 1. Timoth. 4, 14. Tit. 1, 5. Cypr. lib. 1. epist. 6.

[d] Numer. 16, 31-35. Heb. 5, 4. 1. Paral. 13, 6-10. 2. Reg. 6, 6. 7. 2. Par. 26, 16-21.

Digitized by Google

nera quomodocumque occupanda ac arripienda praecipitat. In quos divinus ille sermo recte competit: [e] *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad vos, et ipsi prophetabant.*

Et hos non Ecclesiae ministros habendos, sed uti [f] fures, latrones, vulpes, canes et lupos cavendos esse Scriptura monet: quoniam illi non per ostium ingrediuntur, sed aut propria temeritate, aut propter [g] magistratus dumtaxat civilis vel turbae [h] popularis favorem, ecclesiastica munia sibi sumunt, absque legitima quidem vocatione et ordinatione in sacra illa munia involantes. *Quomodo* [i] *autem praedicabunt, nisi mittantur?* ut [l] segregatus ille in ministerium Paulus inquit.

Certe Ordine [k] confuso, et sublato sacerdotio, Ecclesiastica corrueret hierarchia, quae tum ex presbyteris et aliis ministris tum vero ex episcopis recte ordinatis constat, nec esset Ecclesia, quod dicitur, castrorum [l] acies ordinata, nec veri et legitimi Ecclesiae ministri internoscerentur: praeterea docendi munus et auctoritas vilesceret, Sacramentorum dispensatio infide praepostereque curaretur, ac vana etiam foret: functiones demum Ecclesiasticae perturbarentur, atque sicut res nunc ipsa nimium docet, novae falsaeque doctrinae per novos istos falsosque sponsae ministros gliscerent: unde

e Hierem. 23, 21. 14, 14. 27, 15. 29, 9.

f Joan. 10, 1. Cantic. 2, 15. Actor. 20, 29. Matth. 7, 15.

g Trident. sess. 23. cap. 4.

h Laod. cap. 13.

i Roman. 10, 14.

i Act. 13, 2.

k Vide Leonem ep. 87. ad episc. Africanos, et Greg. lib. 4. epis. 52. Dionys. in lib. de Eccle. hierar.

l Cantic. 6, 3.

Digitized by Google

gravibus etiam et exitialibus motibus, quos experimur, identidem Ecclesia concuteretur. Quapropter Apostolus Paulus [m] non modo gradus ministrorum in Ecclesia diversos posuit, verum etiam quam salutares ac necessarii essent, adjunxit, ut affirmet [n] divinitus eos esse datos Ecclesiae, quemadmodum antea dictum fuit: *Ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, et ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

m 1. Cor. 12. 28.

n Ephes. 4. 12-14.

Et est profecto illustris haec nota Ecclesiae, multoque certissima, quod videmus perpetuam illam, nullaque hactenus aetate interruptam Episcoporum ac legitimorum in ea ordinum successionem, quos Deus in ea ad hujus regni sui gubernationem integram collocavit. Eoque magis ministrorum isthaec institutio, tanquam nexus firmissimus [o] Ecclesiae, et conservandae unitatis pulcherrimum vinculum, sedulo retinenda, et in malis etiam Ecclesiae ministris (ut diximus) propter divinam ordinationem est usque honoranda. Quod Augustinus intelligens, [p] in illum, inquit, ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, si quisquam traditor per illa tempora sub-

o Iren. lib. 3. c. 3. et lib. 4. cap. 43. Optatus lib. 2. contra Donat. August. ep. 165. et 43. Item contra epist. Funda. c. 4. et in psalmo contra partem Donat. Tertul. de praescript. haeretic.

p Epistol. 165. vide eundem lib. 2. contra litteras Petiliani Donati, cap. 51.

Digitized by Google

repsisset, nihil praejudicaret Ecclesiae et innocentibus Christianis: quibus Dominus providens, ait de praepositis malis: [q] *Quae dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite.* Haec Augustinus.

q Matth. 23, 3.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

I.

Quid est Matrimonium?

Matrimonium [a] est legitima viri feminaeque conjunctio, ad consuetudinem vitae individuam inter ipsos conjuges transigendam, divinitus instituta.

Legitima, inquam, ut mutuus amborum [b] consensus accedat, et gradus, quos vocant, [c] consanguinitatis et affinitatis, aliaque id genus matrimonium vel prohibentia, vel dirimentia, minime intercedant. Cujus quidem conjugalis conjunctionis si primarium auctorem quaeris, [d] Deus est Opt. Max., qui primos conjuges et humani generis parentes in ipso paradiso conjunxit, suaque benedictione cohonestavit. Sin finem institutionis spectas, est humani generis ad [e] Dei gloriam propagatio, et conjugum inter se familiaris fidusque [f] convictus: ac praeterea [g] fornicationis in hac naturae corrupte imbecillitate devitatio.

a Aug. in lib. de fid. et operib. c. 7. et l. 1. de nupt. et concu. c. 10. et 21. in l. de bono conjug. c. 24. Ambr. in cap. 5. Eph. Petrus Dam. ser. 1. de Dedicat. Lucius 3. in 5. decret. tit. 7. c. 9. Constant. Conc. sess. 15. art. 8. Trident. sess. 24. can. 1.

b Genes. 24, 57. 58. Tob. 7, 15-17. Ambr. de instit. Virg. c. 6.

c Calixtus 1. epist. 2. Later. can. 50. Trident. sess. 24. can. 3. et 4. et de reform. matrim. ca. 2. et sq.

d Genes. 2, 21-24. Matth. 19, 3-8. 1. Corinth. 7, 2-6. 10-13. Ephes. 5, 22-33.

e Genes. 2, 21-24.

f Chrys. homil. 20. in epist. ad Ephes. in morali exhort.

g 1. Cor. 7, 2-6. 10-13. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7. Chrys. in Psalm. 43.

Digitized by Google

II.

Qua ratione Matrimonium est Sacramentum?

Quatenus [a] ea conjunctio que inter virum et uxorem arctissima intercedit, congruum et sacrum est signum divinitus institutum, quo Christi sponsi et Ecclesiae sponsae conjunctio sanctissima firmissimaque designatur.

a Ambr. in c. 5. Eph. Aug. ut supra Conc. Flor. Trid. sess. 24. in doctrina de Sacramento Matrimonii.

Hoc ipsum signum Christianis conjugibus, quando matrimonium rite [b] auspicantur, ad gratiam Dei prodest accipiendam. Quae gratia conjugibus naturalem [c] perficit amorem, et indissolubilem unitatem confirmat, eosque sanctificat, ut non modo duo sint [d] maneantque in carne una secundum suam vocationem, verum etiam ut mutuam inter se fidem, pacem, dilectionem et consensionem maximam usque conservent. Atque ita in eis efficitur, quod Apostolus [e] docet, *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus.*

b Tob. 3, 17-19. 6, 17. 18. 8, 9. Evarist. epist. 1. Trid. c. 1. refor. matrimon.

c Chrys. hom. 20. in epist. ad Ephes. Ambros. lib. 1. de Abraham. cap. 7.

d Genesis. 2, 21-24.

e Hebr. 13, 4.

Proinde Paulus [f] idem, ubi conjunctionis ejusmodi tractat mysterium, perspicue dixit: Sacramentum hoc magnum est: *ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Sic et Augustinus: Non tantum, [g] inquit, foecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Unde dicit Apostolus: [h] *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.*

f Ephes. 5, 32. Ambr. ibidem Leo. epist. 92. ad Rustic. Narbo.

g Lib. 1. de nup. et concupiscen. c. 10. et 21.

h Ephes. 5, 25.

Digitized by Google

Et rursus: [i] In nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri.

i Aug. lib. de bono conjugali. c. 28.

III.

An dirimi unquam potest Matrimonium?

Matrimonium dirimi non posse, sed illius nexum indissolubilem esse, primi hominis verba illa demonstrant, [a] *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quam rem [b] Christus quoque confirmavit, cum Adae verba veluti divina repeteret, illud etiam adjungens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Atque alibi docet, [c] *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Hanc porro Dei legem, et inviolabilem ordinationem de perpetua conjugalis nexus firmitate Paulus illustrans, *His*, ait, [d] *qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Ac postea [e] subjicit: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.*

a Genes. 2, 24.

b Matth. 19, 6. Marci 10, 9. Origen. tract. 7. in Matth.

c Lucae 16, 18. Marci 10, 11. 12. Rom. 7, 2. Can. Apo. 48. Ambros. in c. 16. Luc.

d 1. Corinth. 7, 10. 11. Aug. de adult. conjug. l. 2. c. 5. et 9. Item. hom. 49. ex 50. Concil. Milevitan. cap. 17.

e Ibidem vers. 39. et Rom. 7, 2.

Et si igitur nulla etiam speretur [f] proles, et quaelibet vitae incommoda, durissimique casus accedant, tamen contractum semel matrimonium valet, adeoque ratum et firmum est, si praesertim sit consummatum, ut usque indissolubile in omni vita perseveret. Unde non potest alter conjugum ab

f Aug. de bono conjug. c. 7, 15. 18. 24. Hier. in epitap. Fabiolae ad Ocean. epist. 30.

Digitized by Google

altero in universum divertere, nisi forte priusquam inter conjuges carnale commercium intercesserit, religiosae vitae * institutum suscipiatur. Ubi vero causae quaedam offerunt sese, ob quas aliquando conjuges separentur, non idcirco vinculum solvitur, [g] sed tori et cohabitationis communitas, quae antea fuit, impeditur.

* Decret. l. 3. Titul. 32. ca. 2. et 14. Trident. sess. 24. can. 6.

g Conc. Flor. Trid. sess. 24. can. 7. et 8. Aug. lib. 1. de adulter. conjug. cap. 11.

Cujus rei causam in Christo ipso statuemus, qui summa, perpetua et inseparabili prorsus unione [h] Ecclesiam, sponsam illam unicam, semperque charissimam, sibi adjunxit atque copulavit. Neque solum haec ipsa, quae inter virum et uxorem est, conjunctio, vinculi conjugalis habet firmitatem, verum etiam omnem inde polygamiam, [i] ne uni videlicet viro plures nubant, aut una pluribus detur maritis, penitus excludit. Quare Christus, ut matrimonium et certius confirmaret, et ad puriorem primaevumque, illum statum revocaret, significanter dixit: [k] *Erunt duo in carne una.* Et rursum: *Jam non sunt duo, sed una caro.*

h Ephes. 5, 22-33. Cant. 5, 1. 2. 9.

i Isidor. l. 2. de Offic. Eccles. ca. 19. Trid. sess. 24. canon. 2.

k Genes. 2, 21-24. Matth. 19, 6. Marc. 10, 9.

IV.

Estne permissum omnibus Matrimonium?

Minime: tradiderunt enim sancti Apostoli, ut [a] Epiphanius inquit, peccatum esse, post decretam votoque firmatam virginitatem, ad nuptias converti. Idque tale ac tantum esse peccatum asserit Hieronymus, [b] ut dicat, Virgines, quae post consecratio-

a Epiphan. haeres. 61. contra Apostolicos.

b Hiero. 1. contra Jovinianum. Basil. de virginitate, et epist. ad virg. lapsam.

nem nupserint, non tam adulteras, quam incestas esse. Et Augustinus[c] ait: Virgo, quae si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retro de loco quo accesserat.

Proinde quod Apostolus habet,[d] *Melius est nubere quam uri*, prout[e] Ambrosius diserte pronuntiat, ad non pollicitam, ad nondum velatam pertinet. Caeterum quae se spopondit Deo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro: et si jam voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Sic Ambrosius. Unde semper laudatum fuit Joviniani[f] Imperatoris Rescriptum, et a Justiniano Imperatore in codicem relatum,[g] quod sic habet: Si quis non dicam rapere, sed attentare tantum jungendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena feriatur.

Jam[h] de Monachis, et[i] sacris ordinibus initiatis eadem ratio, idem judicium est prorsus: damnationem enim habent, si laxatis libidini habenis, primam fidem Deo et Ecclesiae datam fefellerint, seu, ut Apostolus[k] loquitur, irritam fecerint. Qui ultro se abdicarunt conjugio, dum servandum perpetuo caelibatum aut voto expresse nuncupato firmarunt, aut sacrorum Ordinum susceptione saltem

c In Psalm. 83. Vide eundem in Psalm. 75. et de bono viduit. ca. 8. 9. 11. Oecum. in 1. Cor. 7. Cypr. lib. 1. epist. 11. Chrys. de virg. cap. 39.

d 1. Cor. 7, 8.

e Lib. ad virginem lapsam cap. 5. Hier. lib. 1. in Jovin. Aug. lib. 1. de adult. conjug. c. 15. et c. 8. de bono viduit. Oec. in 1. Cor. 7. Isido. l. 2. de off. eccl. cap. 17. Leo epist. 92. ad Rust. cap. 14.

f Sozom. lib. 6. hist. ca. 3. et Niceph. l. 10. c. 39.

g L. Si quis C. de Episc. et Cler.

h Basil. quaest. 14. diff. expl. Item serm. 1. de instit. Monachorum, et Constitutionum monasticarum ca. 22. et epi. ad monachum laps. Chrys. ep. 6. ad Theod. lapsum. Leo epist. 92. ad Rust. c. 13. 14. et 15. Aug. in Psal. 75. et serm. 1. de communi vita cleric. Chalc. synod. c. 16.

i Epiph. haeresi. 59. et in comp. doct. Hier. 1. contra Jov. et advers. Vigilantium. Aug. 2. de adult. conjug. ca. 20. Greg. l. 3. ep. 34. Leo ep. 92. ad Rust. cap. 3. et epist. 84. c. 4. Bern. serm. 65. in Cant. Trid. sess. 24. can. 9.

k 1. Tim. 5, 11. 12.

Digitized by Google

tacite [l] comprobarunt, atque testati sunt.

Audiant igitur Verbum Dei: [m] *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* [n] Et, [o] *Quodcunque voveris, redde.* Tum alibi: *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* Quin et Christus ipse docet: [p] *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

l 6. Decret. l. 3. tit. 15.
m Eccl. 5, 3.
n Ibidem, et Deut. 23, 21-23.
o Psalm. 75, 12.
p Luc. 9, 57-62. Bern. epist. 2. ad Fulcon. Anselmus epist. 4.

V.

Cogit igitur ad Coelibatum quosdam Ecclesia?

Non cogit sane pia providaque mater, quae legem Coelibatus nemini imponit; ab iis vero, qui legem eam, uti dictum est, ultro receperunt, exigit, [a] ne solvant religionem, neve conventionem, quam cum Christo et ejus Ecclesia sancte iniverunt, violent atque rescindant.

Merito igitur urgentur illi stare promissis, et servare, quod semel firmiter amplexi sunt, consilium Evangelicum, de quo Paulus: [b] *Et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit* (quamdiu scilicet voto coelibatus [c] adstricta non est) *et qui non jungit, melius facit.* [d] Ac rursus: *Bonum est homini, mulierem non tangere.* Quocirca laudantur a [e] Christo, et in Ecclesia semper ap-

a Beda lib. 3. de tabern. et vasis ejus c. 9. et in Luc. cap. 1. Hiero. in cap. 1. ad Titum. et in apol. pro lib. contra Jov. Orig. hom. 23. in Num. Amb. Epist. 81. et lib. 1. off. cap. 50. Euse. 1. demon. evangel. c. 9. Vide Can. dist. 28. et 82.
b 1. Cor. 7, 38.
c Theophil. ibidem. Hier. lib. 1. contra Jovinianum. Greg. in cap. 15. lib. 1. Regum. Epiph. haeres. 61.
d Ibidem 7, 1.
e Matth. 19, 10-12.

Digitized by Google

prime laudati fuerunt [f] Eunuchi Evangelici, sive, uti Tertullianus [g] vocat, spadones voluntarii, qui seipsos propter Dei regnum castraverunt, ut sint sancti [h] corpore et spiritu, Deo in carne sine carne militantes.

Ubi duplex error nobis est valde cavendus: alter eorum, qui cum Joviniano Matrimonium sic extollunt, ut aut [i] aequent, aut [k] anteponant hunc statum coelibatui seu virginitati, cum Paulus [l] quidem et Patres omnes aperte reclament: alter eorum, qui fingunt continentiam et coelibatum ab hominibus Christianis vix posse praestari, ideoque nulli eum facile suscipiendum, aut sancte promittendum esse contendunt. Nec intelligunt isti Evangelicae gratiae ubertatem, quae talis ac tanta per Christum tot seculis data est, et quotidie datur credentibus, [m] petentibus, quaerentibus, pulsantibus, ut hi jugum Domini suave, et continentiae viam non minus sibi commodam, quam salutarem experiantur. Inter quos erat et Paulus, palam affirmans: [n] *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Quamobrem Augustinus, [o] ubi locum illum:

f Esa. 56, 3-5. et ibidem Hieron. Basil. lib. de virg. Aug. de sancta virg. c. 24. et 25.
g Lib. 1. ad uxorem.
h 1. Cor. 7, 32-40.
i Hier. in Jovinian. Aug. haeresi. 82.
k Trident. sess. 24. cap. 10.
l 1. Corint. 7, 38.
m Aug. lib. 6. et 8. Confess. cap. 11. Orig. Hier. Chrys. in Matth. cap. 19.
n 1. Cor. 10, 13.
o Aug. in Psalm. 75.

Digitized by Google

Vovete et reddite Domino Deo vestro, explicat, ita scriptum reliquit: Non sitis pigri ad vovendum, non enim viribus vestris implebitis. Deficietis, si de vobis praesumitis. Si autem de illo, cui vovetis, vovete; securi reddetis. Et idem alibi: [p] Felix necessitas, quae ad meliora compellit.

p Epist. 45.

VI.

Quae est summaria doctrina superiorum?

Quae pro instituta dicta sunt hactenus brevitate, eo sunt demum referenda, ut habeant simplices assertionem Catholicam de septem Ecclesiae Sacramentis. Quae duplicis quidem esse generis inveniuntur. [a] Alia enim, ut priora quinque, singularem uniuscujusque fidelis salutem promovent: alia vero, duo videlicet posteriora, multiplicando Dei populo, et Ecclesiae propagandae deserviunt. Utrumque autem illud ex divina, nobisque necessaria institutione efficiunt.

a Conc. Florent.

Enimvero Baptismus [b] ad spiritualem vitam, quae in Christo est, regenerat. Confirmatio [c] vires porro ac robur addit regenerato. Eucharistia [d] cibus, potus ac viaticum est peregrinanti. Poenitentia [e] praesens adver-

b Joan. 3, 3. Tit. 3, 5.

c Actor. 8, 17.

d Joan. 6, 51. 55.

e Joan. 20, 23. Ezech. 18, 30. 31.

Digitized by Google

sus omnes animi morbos pharmacum, lapsum hominem erigit, curatque vulneratum. Succedit extrema [f] unctio, quae in postrema cum morte lucta munit atque consolatur emigrantem. [g] Ordo deinde ministros praebet Ecclesiae, qui sacris praesint, ac superiora omnia rite procurent, dispensent, conservent et applicent. Denique Matrimonium [h] Christianam gentem propagat, et humanae providet incontinentiae.

f Jacob. 5, 14. 15.

g Tit. 1, 5. 1. Cor. 4, 1.

h Ephes. 5, 32. 1. Corinth. 7, 2.

Ubi etiam istud discrimen retinendum est, quod Baptismus, Confirmatio et Ordo semel collata, nunquam [i] iterentur. Baptismus item necessario suscipitur [k] ab omnibus. Eucharistia [l] a ratione utentibus: et a relapsis [m] Poenitentia. At est arbitrarium uti reliquis, modo nullum contemnas, aut cum ita fert tempus, contra jus et aequum negligas.

i Concil. Florent. Trident. sess. 7. can. 9. de sacrament. in gener. Aug. 2. contra epist. Parm. c. 13.

k Joan. 3, 5.

l Trident. sess. 21. cap. 4.

m Apocal. 2, 5.

Haec sunt igitur antidota, divinaque remedia, quae misericordia plenus ille [n] Samaritanus instituit, et Ecclesiae praepositis dispensanda concredidit, nimirum ad probe curandos aegros, id est, peccatores omnes in Ecclesia, quoad illi, si velint, veram perfectamque sanitatem adipiscantur.

n Lucae 10, 33. 34. 1. Cor. 4, 1. Joan. 20, 23.

Digitized by Google

Quae quidem remedia rite cognoscere, salubriter accipere, atque fideliter etiam aliis applicare, non artis profecto humanae, sed Christianae est sapientiae. De qua cum satis dictum sit hactenus, quemadmodum praesentis instituti ratio tulit, reliquum est, ut Christo duce ad alteram hujus operis partem, quae Christianam Justitiam continet, porro transeamus.

Ecclesiastici IV. 12. 13.

Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se; et praeibit in via Justitiae: et qui illam diligit, diligit vitam.

Digitized by Google

Justus pro injustis mortuus, ut peccatis mortui, justitiae vivamus. *1. Petri 3, 18.*



CHRISTUS CRUCIFIXUS.

Ad Titum II, 14.

Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

DE JUSTITIA CHRISTIANA.

I.

Quaenam pertinent ad Justitiam Christianam?

Summatim duo, quae his verbis continentur: [a] *Declina a malo, et fac bonum:* sicut et Esaias docet: [b] *Quiescite agere perverse, et discite benefacere.* Hoc est, quod Paulus [c] monet, veterem cum actibus suis exuendum, et novum hominem in justitia et sanctitate veritatis induendum esse. Prius est in cognoscendis fugiendisque peccatis positum, quoniam ea ipsa maxima sunt mala mortalibus: posterius vero in bonis expetendis atque consectandis versatur.

Aug. ser. 59. de temp. Chrysost. in Psalm. 4. et ho. 16. in epist. ad Ephes. Prosper. sentent. 92. ex Aug.
a Psalm. 36, 27. 33, 15. 1. Pet. 3, 10. 11. Tobiae 4, 22.
b Esaiae 1, 16. 17. Eccli. 3, 32. Rom. 12, 9.
c Coloss. 3, 8-10. Ephes. 4, 22-32.

Ut autem justitiae hoc officium utrumque [d] praestemus, Dei gratia per Jesum Christum nobis parta et promissa, semperque necessaria est. [e] Ea vero praeeunte atque cooperante, efficitur id in nobis, quod Joannes affirmat: [f] *Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille* (Deus) *justus est.* Addit porro: *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.*

d Bern. ser. 1. de Pentecost.
e Aug. de gratia et li. arbit. c. 19. 15. et 16. Item in Enchir. cap. 32. Hier. in Jovin. Concil. Trident. sess. 6. can. 2.
f 1. Joan. 3, 7. 8.

Digitized by Google

II.

Quid est Peccatum?

Augustino [a] teste, Peccatum voluntas est retinendi vel consequendi, quod Justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Et alibi docet: [b] Peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Ambrosius vero: [c] Quid est Peccatum, inquit, nisi legis divinae praevaricatio, et caelestium inobedientia praeceptorum?

a Lib. de duab. animab. c. 11. et lib. 1. Retract. cap. 15. et 13. lib. de Gen. ad lit. imperfect. cap. 1.
b Lib. 22. contra Faust. c. 27. Lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 13.
c Lib. de Paradiso. cap. 8. Aug. l. 2. de con. evang. cap. 4. Beda in cap. 3. epist. 1. Joannis.

III.

Quotuplex vero Peccatum est?

Triplex, [a] Originale, Mortale ac Veniale.

Primum Originale vocamus, [b] quod a primo humani generis parente Adam transfusum, nobisque in ipsa [c] conceptione contractum, per baptismum in Christo tollitur. De quo Paulus in hunc modum: [d] *Per unum hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et rursus ad baptizatos loquens, ut vim Christiani baptismi ad hoc quoque peccatum expiandum porrigi ostenderet, aperte testatur: [e] *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri* Jesu Christi, *et in spiritu Dei nostri.*

Mortale vero est peccatum (ut vocant) actuale, quod vitam spiritualem eripit, ac mortem adfert animae pec-

a Aug. in Enchirid. cap. 64.
b Trid. conc. sess. 5.
c Psalm. 50, 7.
d Roman. 5, 12.
e 1. Cor. 6, 11.

Digitized by Google

cantis: quae mors et a Deo, Deique [f] regno separat, et supplicio aeterno dignum facit. Unde scriptum est: [g] *Stipendia peccati mors.* [h] *Injustitia mortis est acquisitio: Impii autem manibus et verbis accersierunt illam.*

Demum, Veniale peccatum est actuale quidem, sed quod Dei inimicum hominem non efficit, cujusque a Deo venia fidelibus facile impetratur. De hoc Joannes dixit: [i] *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Nam et Jacobus aperte fatetur: [k] *In multis offendimus omnes.* Et si Sapienti credimus: [l] *Septies cadit justus in die, et resurgit.*

Jam vero peccatum unum altero esse [m] gravius constat, et quidem graviori poenam [n] majorem deberi, non solum humanae, sed etiam divinae est justitiae consentaneum. Proinde Christus inter culpam poenamque scienter ac ignoranter peccantis ita discrevit: [o] *Ille servus*, inquit, *qui cognovit voluntatem domini sui, et non se praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Alibi vero idem de peccato irae ejusque gradibus loquens, hanc tulit sententiam: [p] *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui au-*

f 1. Cor. 6, 9. 10. Galat. 5, 19-21. Apoc. 21, 8.
g Rom. 6, 23.
h Sap. 1, 16.
i 1. Joan. 1, 8. Aug. lib. 3. contra duas epist. Pela. cap. 3.
k Jac. 3, 2.
l Proverb. 24, 16. Eccli. 7, 21.
m Joan. 19, 11.
n Aug. l. 21. de Civit. Dei, cap. 16. et ser. 18. de verb. Apost.
o Lucae 12, 47. 48.
p Matth. 5, 22.

Digitized by Google

tem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Ubi per gradus culpae crevit ordo sententiae, ut [q] Gregorii verbis utamur, dum ira sine voce, Judicio: ira in voce, Concilio, ubi causae sententia definitur: ira vero in voce atque sermone, gehennae ignibus mancipatur.

q Gregor. 21. moral. cap. 5. Aug. lib. 1. de ser. Domini in monte, cap. 19.

IV.

Quare peccatum est fugiendum?

Primum, *quia* D e u s *nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi*, sed, [a] *odit omnes, qui operantur iniquitatem*, ut aperte scriptura testatur. Nec est quicquam D e o magis invisum ac exosum, qui [b] diligit alioquin omnia, quae sunt, et praeter peccatum nihil odio atque supplicio persequitur, illudque nec [c] in caelo, nec in [d] terra sinit impunitum abire.

Ecclesiast. 15, 21.

a Psalm. 5, 7. Eccli. 12, 7. Sap. 14, 9. Prov. 15, 8. Exod. 23, 7.

b Sap. 11, 25.

c Esa. 14, 11-15. 2. Pet. 2, 4-11.

d Levit. 26, 14-33. Deut. 28, 15-23.

Deinde peccatum, ne parum execrandum videatur, C h r i s t o Domino, qui alioquin [e] peccatum non fecit, [f] causam praebuit subeundae crucis, et acerbissimae mortis perferendae. Etenim, [g] *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum:* [h] *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

e 1. Pet. 2, 21-24.

f Bern. ser. 3. de Nativ. Domini.

g Esa. 53, 5.

h 1. Joan. 2, 2.

Ac propterea quidem lavit [i] nos a peccatis nostris in sanguine suo, ut quotquot cum ipso per baptismum [k] in

i Apoc. 1, 5.

k Rom. 6, 2-4.

Digitized by Google

mortem consepeliuntur, hi peccatis [l] mortui, justitiae vivant, ac in [m] novitate vitae per ipsius gratiam ambulent continenter. Caeterum qui post acceptam in Baptismo Christi gratiam, iterum voluntarie peccant, in Christum peccant, Christum persequuntur, Christum denuo crucifigunt, quos Christo justo judici poenas non minores quam sceleratos Ethnicos, dare oportebit. Sic enim Paulus docet: [n] *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio judicii.* De quibus et Apostolus Petrus dixit: [o] *Melius erat illis, non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Quare qui stat, videat, [p] ne cadat: nam cadendo posteriora prioribus deteriora fiunt. Praeterea: [q] *Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae*, si Raphaëli credimus. *Nam homo* [r] *per malitiam occidit animam suam. Anima,* [s] *quae peccaverit, ipsa morietur.* Nihil autem ea morte infelicius, qua homo a sanctorum omnium consortio, ab Angelorum et caelitum gaudio, atque [t] ab ipso denique summo et aeterno bono, in cujus cognitione ac fruitione sane omnis salus et perfecta hominis beatitudo consistit, in aeternum separatur.

l 1. Petri 2, 24.
m Rom. 6, 4.
n Heb. 10, 26. 27.
o 2. Pet. 2, 21.
p 1. Cor. 10, 12. Lucae 11, 26. Matth. 12, 45.
q Tobiae 12, 10.
r Sap. 16, 14.
s Ezech. 18, 4. Jac. 1, 15. Psalm. 33, 22. Rom. 6, 23.
t Matth. 7, 23. 25, 41. Lucae 13, 27. Psalm. 6, 9. Chrysost. hom. 24. in Matth. et 48. ad pop. Antioch. Item epist. 5. ad Theodor. laps.

Digitized by Google

Adhaec, ea peccati natura est atque malignitas, ut non solum a Deo Deique gratia et gloria homines etiam [u] justos abducat, sed praeterea summis aeternisque malis cum corporis, tum animae subjicit: nec [x] solum in hac, sed etiam in futura vita infelicissimos reddit, ut in potestatem daemonum redacti, suppliciis gravissimis et malis omnibus perpetuo addicantur. Hinc notanda sunt in scripturis sacris, quae passim de reprehensis ac punitis peccatoribus exempla proferuntur, ut de [y] Cain, [z] Pharaone, [a] Nabuchodonosore, [b] Sodomitis, [c] Aegyptiis, [d] Israëlitis et caeteris, quorum scelera justus Deus miris ac horrendis modis est persecutus. Observandae quoque sententiae, quae peccatorum pestes fugiendas et execrandas docent. Ut, [e] *Qui facit peccatum, servus est peccati. Odio* [f] *sunt Deo impius et impietas ejus.* [g] *Miseros facit populos peccatum. Quasi a* [h] *facie colubri fuge peccata.* [i] *Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Qui* [k] *in uno peccaverit, multa bona perdet.* [l] *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Dei nostri.* Haec eo spectant, ut aequissimum peccatorum vindicem Deum homo cognoscat, cognoscendo timeat, timendo caveat saluti suae, et

u Ezech. 18, 24-26. 33, 12. 13.

x Judith. 5, 18-23. Exod. 22, 33. Num. 14, 22-29. Eccli. 21, 4. Psalm. 10, 7. Lucae 16, 22-24.

y Gen. 4, 11.
z Exod. 14, 27.
a Dan. 4, 29.
b Gen. 19, 24. Ezech. 16, 49. 50.
c Exod. 7. 8. 9. 10. 12. 14.
d Deut. 32, 22-26. Num. 16, 3. 20, 25-49.
e Joan. 8, 34.
f Sap. 14, 9.
g Prov. 14, 34.

h Eccli. 21, 2.
i Psalm. 5, 5. 6.

k Eccli. 9, 18.
l Tobiae 4, 6. Vide Chrys. ho. 8. ad pop. Antioch. 17. in Genes. 51. et 37. in Joan. 28. in epist. ad Rom. 41. in Acta et hom. de Jona Proph. Basil. hom. in Psalm. 33. Aug. propos. 42. ex epist. ad Roman.

Digitized by Google

cavendo poenas evadat horribiles peccatorum. [m] *Multa enim flagella peccatoris.*

m Psalm. 31, 10.

V.

Quae via ad peccati foveam ducit?

Tribus praecipue gradibus [a] ad peccatum pervenitur: Suggestione, delectatione, consensu.

a Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 12. et lib. 12. de Trinit. cap. 12. Greg. hom. 16. in evang. et lib. 4. moral. cap. 27.

Suggestione quidem hostis, dum nobis prava ingeritur cogitatio, sive tentatio a mundo, carne vel Satana: delectatione autem nostra, dum animo jam nimium adlubescit, quod prava suggessit tentatio: demum, et proprio consensu, dum in peccatum ipsum voluntas allecta consentit deliberate: Ex quo sane consensu peccatum jam [b] consummatur, ut hominem non modo immundum iniquumque faciat, et spiritualiter occidat; verumetiam coram Deo gehennae obnoxium reddat, etiam si non semper opere perpetretur. Unde non temere dictum est [c] illud: In suggestione semen, in delectatione nutrimentum, in consensu perfectionem inesse peccati.

b Jacob. 1, 14. et ibidem Beda. Tobiae 4, 6. Rom. 6, 12. Matth. 5, 22.

c Greg. ad interr. 11. Augustin. Cantuar.

Quod si exactius consideremus, qui soleant gradus esse peccati, imprimis oritur ex [d] suggestione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex peccati defensione gloriatio, ex glo-

d Vide Greg. Magn. lib. 4. moral. ca. 27. et Isidor. lib. 2. de summo bono, cap. 23.

Digitized by Google

riatione damnatio. Haec est demum longa illa et horrenda peccatorum catena: hi [e] funes atque compedes, quibus adstrictum hominem Satanas nunc in omne genus malorum, ac tandem in tartaream abyssum praecipitat infelicissime. Atque idcirco plurimum refert, peccatorum gradus ejusmodi atque propagines, ne fallamur, atque periclitemur, studiose discernere et observare.

e Prov. 5, 22. Psalm. 118, 61. 2. Reg. 22, 5. Vide Aug. lib. confess. cap. 5.

VI.

Quomodo peccata facile devitantur?

Primum quidem, si quae peccatis mala et pericula succedant, provideamus: deinde si illorum initiis pravisque suggestionibus, quibus ad peccandum facile solicitamur, statim [a] occurramus atque repugnemus fortiter: postremo, [b] si virtutes peccatis contrarias exercitare nitamur, Christo in his omnibus auxiliante.

a Psalm. 136, 9. Jac. 4, 7. 8. 1. Petr. 5, 8. 9.
b Rom. 12, 1-6. 9-21. Ephes. 4, 1-3. 22-32. Phil. 4, 5-9.

Monet igitur Ecclesiasticus: [c] *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Unde divinum etiam oraculum pronuntiat: [d] *Nonne si bene egeris, recipies? si autem male, statim in foribus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.*

c Eccl. 18, 30. 31.
d Gen. 4, 7.

Atque hic locum habet armatura [e] spiritualis, qua vult Paulus Christi milites adversus peccatum et insidias

e Ephes. 6, 10-18. Heb. 12, 3. 4.

Digitized by Google

omnes Diaboli esse munitos, ut peccato repugnare, in die malo resistere, et omnia tela nequissimi extinguere possint.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

I.

Quae sunt peccata praecipue animadvertenda?

Ea nimirum, quae dicuntur Capitalia, quod sint veluti fontes vel capita reliquorum, et e quibus velut ex corrupta radice, pestiferi plane fructus nascuntur, et longa quasi stirpe omnis generis vitia, turpitudines, scandala, damna, corruptelae ac pestes humani generis descendunt, et vi magna profluunt.

II.

Quot sunt peccata ejusmodi Capitalia?

Septem, quae sic numerantur: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia. Sed ut haec maximo semper odio persequenda fugiendaque; sic Virtutes septem, quae peccatis illis opponuntur, summo quidem studio et amore, si vitam animae quaerimus, sunt consectandae. Superbiae contraria est [a] Humilitas, Avaritiae [b] Liberalitas, Luxuriae [c] Castitas: cum Invidia pugnat [d] Charitas, Gulae opponitur [e] Abstinentia, Irae [f] Patientia: demum Acediae [g] Devotio seu pia sedulitas, sedulaque pietas adversatur.

De his Gregor. lib. 31. Moral. c. 31. et Cassian. collat. 5. Item lib. 5. et sequent.

a Coloss. 3, 12.
b 2. Cor. 9, 5-7.
c Act. 24, 25.
d 1. Cor. 13, 4.
e Eccli. 31, 19-22. 31-40.
f Hebr. 10, 36.
g 1. Cor. 15, 58.

Digitized by Google

III.

Quid est Superbia, et quas gignit filias?

Superbia [a] est inordinatus appetitus excellentiae, sive intus lateat in animo, sive extrinsecus etiam sese prodat.

Haec vitiorum quidem omnium mater, princeps [b] ac regina est, quae praecipue infelicem hanc sobolem gignit: [c] Inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, curiositatem.

Ut autem delictum hoc maximum caveatur, Tobias in hunc modum admonet: [d] *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim* [e] *initium sumpsit omnis perditio.* Hinc Apostolica illa doctrina: [f] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Imo si Ecclesiastico credimus: [g] *Odibilis est coram Deo et hominibus superbia. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis Gentibus. Quid ergo superbis terra et cinis?*

a Vide Chrys. hom. 43. ad popul. Antioch. Bernard. de gradibus humilit. Greg. 34. moral. cap. 17. et seq. et lib. 23. cap. 7. Prosp. ad Demetriad Isidor. de summo bono, l. 2. c. 31.
b Greg. lib. 31. moral. c. 31. Prosp. lib. 3. de vita contemp. cap. 2.
c Deut. 17, 12, 13. Sap. 5, 8. Matth. 23, 11-28. Prov. 13, 10. Gen. 49, 7. Prov. 6, 16-19. 1. Tim. 5, 13.
d Tobiae 4, 14.
e Eccli. 10, 14.
f Jac. 4, 6. 1. Petri 5, 5.
g Eccles. 10, 7, 18. 9.

IV.

Quid est Avaritia, et quarum filiarum mater?

Avaritia [a] est habendi appetitus inordinatus. Avarus enim recte judicatur, non solum qui rapit, sed etiam qui concupiscit aliena, vel cupide servat sua.

Filiae [b] sunt hujus pessimae matris: Proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, immisericordia, seu inhumanitas, et cordis durities.

a Consule Basil. in ditescentes et avaros, hom. 6. et 7. Prosp. lib. 2. de vita contempl. c. 15. et 16. Isidor. de summo bono lib. 2. c. 41. Aug. lib. 3. de libero arbit. c. 17. et ser. 196. de temp. Amb. in lib. de Nabuch. Israëlita.
b Greg. lib. 31. moral. cap. 31. 2. Tim. 3, 2-5. 1. Cor. 6, 8-10. Eccli. 11, 31-33. 34. Zach. 8, 17. Matth. 6, 24-34. Prov. 22, 22. 21, 13. 6.

Digitized by Google

Damnat hoc vitium Apostolus, [c] ut Idolorum servitutem dixerit: ac praeterea ita scribit: [d] *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Et alibi scriptum habemus, [e] *Avaro nihil est scelestius.* Item: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet.* Et Christus ipse testatur: [f] *Non potestis Deo servire et mammonae.* Et iterum: *Nolite soliciti esse in crastinum.* Quod Paulus etiam explicatius reddens, ita monet: [g] *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor.* [h] *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.*

c Coloss. 3, 5. 6. Ephes. 5, 5. 6.]

d 1. Tim. 6, 9. 10. Esa. 5, 8. 9. Marci 10, 24. 25. Abac. 2, 6. 9. Jac. 5, 1-3. Eccli. 31, 5-11. Baruch. 3, 16-19. Psal. 48, 17-21. 12.

e Eccli. 10, 9. Ibidem 10.

f Matth. 6, 24. Ibidem 34.

g Hebr. 13, 5. 6. Lucae 12, 15-21.

h 1. Tim. 6, 8.

V.

Quid est Luxuria, quulemque sobolem gignit?

Luxuria [a] est appetitus inordinatus impurae ac libidinosae voluptatis. Gignit [b] autem ex se mentis caecitatem, inconsiderationem, inconstantiam, praecipitationem, amorem sui, odium Dei, desiderium hujus vitae nimium, mortis futurique judicii horrorem, ac felicitatis aeternae desperationem.

Adversus hoc peccatum, quod [c] sapientes amentes, et homines pene pecudes facit, ita Paulus: [d] *Fugite for-*

a Videatur Prosper de vita contemp. li. 3. cap. 6. Isidor. de summo bono lib. 2. cap. 39.

b Greg. ut supra, Oseae 4, 11. 2. Reg. 11, 14. Dan. 13, 56. Proverb. 13, 3. Sap. 4, 12. Psalm. 51, 6. 2. Tim. 3, 1-4. Psalm. 20, 9-12. Jac. 4, 4. Eph. 4, 19.

c 3. Reg. 11, 1-7. Eccli. 19, 2. Hieron. in cap. 4. Oseae. Ambr. lib. 1. de Cain et Abel. c. 5. et lib. de Noë et arca, c. 9.

d 1. Cor. 6, 18. et ibi-

Digitized by Google

dem Chrysost. Aug. de decem chordis c. 10. et ser. 16. de verb. Domini.

nicationem. Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Quamobrem et alibi in hunc modum scribit: [e] *Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio.* Ac mirum est sane, ingenti [f] pudore non affici Christianos, qui coram Deo et angelis ejus foeda se libidine polluunt; cum corpora membraque sua Spiritui sancto, et Christo Domino veluti [g] templa pura in baptismate consecrarint. Hinc iterum Paulus: [h] *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* Tum rursus: [i] *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Ac demum ita concludit: [k] *Empti estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro:* [l] *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*

e Ephes. 5, 3. 4. et ibidem Hieron. Vide sextum praeceptum Decalogi.

f Ambr. in cap. 4. Luc. Greg. 16. Moral. cap. 31.

g 1. Cor. 3, 16. 2. Cor. 6, 16.

h 1. Cor. 6, 19.

i Ibidem 15.
k Ibidem 20.
l Hebr. 13, 4. 1. Cor. 6, 9. Ephes. 5, 5. Galat. 5, 19-21. Apoc. 21, 8.

VI.

Quid est Invidia, et quas procreat filias?

Invidia [a] est tristitia de bono alterius, et odium alienae felicitatis: respectu superiorum, quia eis non aequatur: et respectu inferiorum, ne sibi aequentur: et respectu parium, quia sibi aequantur, ut [b] Augustinus inquit: Prosp. sent. 291.

a De hoc peccato scribit Cypr. serm. de zelo, et livore. Basil. ho. 11. de Invidia. et 21. in aliquot scripturae locos. Chrys. ad pop. ho. 44. et sq. Prosp. lib. 3. de vit. cont. c. 5. et 9. Isid. de summo bono, lib. 3. c. 25.
b Aug. lib. 11. de Genesi ad lit. c. 14.

Digitized by Google

Filias [c] vero procreat, odium, susurrationem, detractionem, in adversis aliorum rebus exultationem, in prosperis afflictionem.

Certe Cain [d] Abel germano fratri, et Saul [e] Davidi destinato regi generoque suo legitur invidisse. Hoc [f] execrandum crimen, praeterquam quod ab omni est charitate et humanitate remotum, homines etiam daemonibus persimiles reddit. [g] *Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Recte igitur Apostolus monet: [h] *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

c Greg. lib. 31. Mor. cap. 31. 1. Joan. 3, 11-13. Rom. 1, 24-32. Prov. 17, 5. 24. 17. 18. 21. 28. 22. Eccl. 4, 4.

d Gene. 4, 3-6. sq. Judae 11.

e 1. Reg. 18, 7-9. 10-29.

f Nyss. in vita Moysi. Hiero. in c. 5. ad Galatas. Greg. 3. p. curae past. ad mon. 12. Aug. ser. 83. de temp. Bern. ser. 24. et 49. in Cantic. et in ser. de tripl. cust.

g Sapient. 2, 24. 25. Chrys. hom. 41. in Matth. Greg. 5. Moral. cap. 33. et 34. et lib. 29. Moral. cap. 3. Aug. de S. Virg. cap. 31.

h Galat. 5, 26.

VII.

Quid est Gula, et quaenam illius filiae?

Gula est cibi ac potus appetitus [a] inordinatus. [b] Filias habet [c] ineptam laetitiam, multiloquium, scurrilitatem, [d] spurcitiem, sensuum et intellectus hebetudinem.

Quid vero foedius, quam hominem a belluis naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris, crapulae et vinolentiae quasi mancipium agit, dum bona dissipat, valetudinem laedit, morbos accersit, ac vitam demum ipsam abrumpit eripitque sibi? Nam vere dictum est illud: [e] *Propter*

a Greg. 30. Moral. c. 27.

b Idem lib. 31. Moral. c. 31.

c Exod. 32, 6. Job. 21, 12. Prov. 10, 19. Ephe. 5, 3. Greg. 3. parte curae past. admon. 20. Chrys. hom. 57. ad pop.

d Esa. 28, 7. 8. Eccl. 10, 16. 17. Chrys. 44. in Joan. et 58. in Matth. Hie. li. 2. contra Jovin. et in c. 44. Eze. et in c. 5. ad Gal. Legatur de hoc vitio Basil. ho. in ebrietatem et luxum. Aug. de temp. serm. 231. et 232. Chrys. in ser. cont. luxum et crapulam. et hom. 1. ad pop. Antioch. Isidor. lib. 2. de summo bono, c. 42. et 43. Ambr. de Helia et jejunio, c. 12. et sq.

e Eccl. 37, 34. et 31, 19-22. Psal. 77, 29. 30. Num. 11, 33. 34. Deut. 32, 15. Prov. 21, 17.

Digitized by Google

crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Item: [f] *In multis escis erit infirmitas.* Jubet ergo Christus: [g] *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Caeterum ab ebrietate nos revocans Paulus: [h] *Nolite*, ait, *inebriari vino, in quo est luxuria.* [i] *Ebriosi regnum Dei non possidebunt:* ut idcirco tam graviter interminetur quoque Propheta potatoribus: [k] *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

f Eccl. 37, 34.
g Luc. 21, 34. Vide Burchard. lib. 14. decret. et Ivonem parte 13. c. 68. et sequent.
h Ephe. 5, 18. Prov. 20, 1. Hier. in c. 1. ad Tit. et epist. 83. ad Oceanum. Amb. l. 2. de poenit. c. 14.
i 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 19-21. Oseae 4, 11. Prov. 31, 4. 5. Eccli. 19, 2.
k Esa. 5, 22. 22, 12-14. Prov. 23, 20. 29-35. Amos 6, 1. 4-6. Lucae 6, 24. 25.

VIII.

Quid est Ira, et quae soboles ex illa nascitur?

Ira est immoderata cupiditas puniendi ejus, a quo laesum se quis arbitratur. [a] Nascuntur ex illa detestandae filiae, rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, atque blasphemia.

Est [b] hoc animi virus perniciosum, omnem judicii prudentiaeque vigorem, et animi saepeque corporis sanitatem labefactans. Quare monuit Ecclesiastes: [c] *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Et Gentium doctor praecepit: [d] *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Caeterum adversus iracundos, contentiosos, contumeliosos, jam lata est Christi

a Greg. li. 31. c. 31. Prov. 29, 22. Job. 15, 1-16. Eccli. 19, 28. Eph. 4, 31. 32.
b Lege Basil. in hom. 10. de ira. Chrys. ad pop. hom. 30. et sq. Item l. 6. in acta 4. et 18. in Matth. Gregor. lib. 5. Mor. c. 36. et seq.
c Eccl. 7, 10. Eccli. 8, 19. 28, 1-20. 30, 26. Prov. 12, 16. 15, 1. 18. 18, 6. 14. 22, 24. 26, 21. 27, 3. 4. Job. 5, 2. Psal. 4, 5. et 30, 10.
d Eph. 4, 31. 32. Col. 3, 8-13. Bern. serm. 13. in Psal. Qui habitat. Amb. l. 1. off. c. 21. Aug. in Psal. 4. Item lib. de vera rel. c. 45. epist. 87. et 149. Greg. lib. 8. epist. 51. ad Leont. et P. 3. curae Past. ad monit. 17.

Digitized by Google

sententia, valdeque metuenda illa: [e] *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis.*

e Matth. 5, 22. Greg. lib. 21. Moral. cap. 5. Aug. lib. 1. de orat. Dom. in monte cap. 19. in Enchir. c. 79.

IX.

Quid est Acedia, et quas gignit filias?

Acedia est remissi animi languor ad bene operandum: praesertim vero tristitia est de re spirituali. [a] Quae has gignit filias: Malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem, circa praecepta necessaria, mentisque circa res illicitas evagationem.

Huic peccato sunt obnoxii homines [b] otiosi, inertes, et quos [c] tepidos scriptura vocat, ab omnes demum, qui tempus hoc gratiae diemque salutis rebus ac studiis vanis transigunt. Finis autem hujus peccati est, quem docet in Evangelio Christus: [d] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Tum alibi: [e] *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Neque tacuit ille, quid interim a nobis, ne torpeamus, fieri velit: [f] *Videte*, inquiens, *vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit.* [g] *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.*

Haec summatim perstrinximus, ut qui justitiae vias sunt minus edocti,

Bern. ser. 3. et 6. de ascens. Dom. Greg. 3. p. curae past. admon. 16.

a Greg. 31. moral. cap. 31. Eccli. 33, 29. Prov. 15, 13. Eccli. 7, 9. 30, 22. 23. Prov. 17, 22. Psal. 118, 28. 39, 13.

b Matth. 20, 3-6. sq. 22, 4. 5.

c Apoc. 3, 14-17. Prov. 6, 3-11. 10, 4. 26. 13, 4. 18, 8. 19, 15. 16. 24. 20, 4. 21, 25. 22, 13. 24, 30-34. 25, 20. 26, 13-16. 28, 19. Eccli. 5, 8. 9. 7, 16. 14, 2. 22, 1. 2. Psalm. 72, 5. sq. Hierem. 48, 10. Rom. 13, 11. 2. Cor. 7, 10. Gal. 3, 3. Apoc. 2, 4. 5.

d Matth. 7, 18. 3, 10. 21, 18. 19. Lucae 13, 6-9. Joan. 15, 1. 2.

e Matth. 25, 30. Eccli. 6, 23-27. Eccles. 9, 10. 2. Thess. 3, 7-12. Galat. 6, 9. 10. Hebr. 12, 12. 13. Rom. 12, 11. 12. Philip. 4, 4.

f Marci. 13, 33-37. Matth. 24, 42-44. 25, 13. Joan. 9, 4. Ephes. 5, 14. Apoc. 3, 2. 3.

g Lucae 13, 24. Matth. 7, 13. 14. 11, 12.

Digitized by Google

praecipuos humani generis morbos, atque execrandas pestes, quas ostendimus, non solum cognoscant et observent, sed etiam ex praescripto divinae legis, a se aliisque depellere, et penitus arcere conentur. *Beatus* vero [h] *vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit*, quemadmodum Psaltes canit regius, ut primam justitiae ac beatitudinis partem cantico suo primo demonstret.

h Psalm. 1, 1. Bern. ser. 23. ex parvis sermonibus.

DE PECCATIS ALIENIS.

I.

Quae peccata dicuntur aliena?

Ea, quae licet aliorum manibus operaque perficiantur, nobis tamen merito imputantur, nostrasque conscientias damnationis coram Deo reas constituunt. Quamobrem de his accipi potest, quod Scriptura imperat: [a] *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et quod orat Propheta Regius: [b] *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Eodem refert Basilius [c] Magnus; quod Ephesiis scriptum est a Paulo, [d] *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Tum illud ejusdem Apostoli: [e] *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.*

a 1. Tim. 5, 22. Vide Basil. li. de vera virginitate.
b Psalm. 18, 13. 14. et ibidem Euthym. Item Augustin. l. 3. de libero arbitrio. cap. 10.
c Lib. 2. de baptism. c. 9. Aug. ser. 18. de verb. Dom.
d Ephe. 5, 11.
e 2. Thess. 3, 6.

Digitized by Google

II.

Quot numerantur ejusmodi aliena peccata?

Novem, sicut novem fere modis committuntur, utpote Consilio, Jussione, Consensu, Irritatione, Laudatione, seu Adulatione, Reticentia culpae alienae, Conniventia vel Indulgentia, Participatione criminis, ac prava Defensione.

III.

Quando peccatum alienum Consilio perpetratur?

Cum mali scilicet consilii, quod alii sequuntur, vel sequi possent, ipsi sumus auctores et administri. Exemplo sit [a] Caiphas, qui consilio suo Senatum Judaicum in mortem Christi concitavit atque permovit. Contra vero laudatur Joseph ab Arimathaea, et vir bonus justusque dicitur, [b] quia non consenserat consilio et actibus eorum, Pontificum scilicet et Pharisaeorum, in Christi [c] necem impie conspirantium. Ejusdem classis fuit Demetrius [d] ille, qui cum aliis opificibus, ut suo studeret quaestui, totam paene urbem Ephesiorum adversus Paulum Paulique doctrinam ingenti seditione complevit. Impegit hic etiam infamis [e] Herodias, qua rex Herodes per adulterium foede abutebatur. Nam illius consilio et suasu instructa saltatrix filia, quod crudeliter appetivit sanctissimi Joannis obtruncatum caput, nefarie impetravit.

Eccli. 27, 28-30. 6. 6-8. 8, 20-22. 37, 7-17. Job. 5, 13. 12, 1. 3, 18. 5-10. Essiae 19, 11-14. Psal. 7, 16. 9, 16. Prov. 26, 27. Eccl. 10, 8.

a Joan. 11, 47-53.

b Lucae 23, 50. Psal. 1, 1. Gen. 49, 5. 6. Job. 21, 16.

c Joan. 11. 53. Matth. 26, 3. 4.

d Act. 19, 24. 2. Reg. 10, 2-4. 6. 7. 19. 16, 20-23. 17, 1-8. 14. 3. Reg. 12, 12-19. 21, 25. 26. 2. Paral. 22, 2-5. 25, 14-24. 1. Esdrae 4, 4. 5. Hest. 5, 10-14. 7, 9. 10. Daniel. 6, 5-24. 1. Mach. 1, 12-16. 2. Mach. 1, 11-17. 4, 32-50. Act. 14, 18.

e Marc. 6, 23-28. Matth. 14, 8. sq.

Digitized by Google

IV.

Quando Jussio est peccatum alienum?

1. Reg. 22, 16-19. Jud. 2, 1-6. Hest. 3, 8-15. Dan. 3, 4-8. sq. 6, 11-16. 1. Mach. 1, 43-67. 2. Mach. 6, 1-9. Marci 6, 17. Act. 23, 2. 3.

Cum ex decreto, mandato, imperiove nostro redit ad proximum injuria, vel malum quodcunque perpetratur. Sic David rex innocentem occidit [a] Uriam, non suis quidem, aut servorum manibus, sed per litteras hoc agens atque demandans, ut in proelio ille occideretur. Et praeses [b] Pilatus mortis Christi reus est, quod illum in Judaeorum gratiam cruci affigendum, etsi invitus quodammodo, auctoritate sua adjudicavit ac tradidit. Ita summo se crimine [c] Pharao et [d] Herodes obligarunt, cum legem tyrannicam de occidendis Hebraeorum infantibus ferrent. [e] Vae autem illis, qui condunt leges iniquas.

a 2. Reg. 11, 14-17.

b Joan. 19, 16. Lucae 23, 25.

c Exod. 1, 15-22.
d Matth. 2, 16.

e Esaiae 10, 1-4. Matth. 15, 3-6. Marc. 7, 9-13.

V.

Consensus quando alieni peccati nos reos facit?

Levit. 20, 4-6. Num. 16, 20-35. Judith 8, 9-14. Hest. 14, 3, 15. 19. sq. Lucae 11, 47. 48.

Cum, quod ab aliis fit nequiter, a nobis quasi suffragium accipit, et saltem tacite [a] approbatur. Ita peccavit Saulus in Stephani Protomartyris necem [b] consentiens. Peccarunt et viri ex Judaeis plures quadraginta, [c] qui facta etiam voti nuncupatione, in Pauli necem armarunt sese. Peccaverunt demum et cives [d] Hierosolymitani, suis Magistratibus, quo Christus perderetur, suffragantes, ut idcirco Petrus illis exprobrans dixerit, [e] *Auctorem vitae interfecistis*. Notanda est igitur Pauli sententia, [f] *Non solum qui faci-*

a Irenaeus, lib. 4. c. 46.
b Act. 7, 59.
c Act. 23, 12. 13.

d Matth. 27, 20. Marci 15, 11-15.

e Act. 3, 15. et 2, 22. 23.

f Roman. 1, 32.

Digitized by Google

unt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.

Et huc referri potest, quod apud Cyprianum legimus: [g] Non est immunis a scelere, qui ut faceret, imperavit; nec alienus a crimine, cujus consensu licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur.

g Lib. 2. epist. 7. quae est Cleri, Romani ad Cyprianum.

VI.

Quando Irritatione nobis peccatum alienum conflatur?

Cum scientes alium ad iram, vindictam, blasphemiam, crudelitatem, aut consimilia vitia, sive dictis id fiat, sive factis, aut quacunque ratione alia, provocamus. Ut cum uxor Job [a] patientissimo viro petulanter insultans, quantum in se quidem erat, suasit etiam Deum blasphemare. Et Tobiae [b] uxor aeque morosa, maritum suis conviciis frequentur infestans et exasperans, hoc facit, ut vir anxius domesticam injuriam suspiriis, lacrymis et precibus ad Deum fusis prosequi cogatur. Contra vero monet Ecclesiasticus: [c] *Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Sic et Salomon dixit: [d] *Semper jurgia quaerit malus; angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

1. Reg. 1, 6. 7. Psalm. 105, 15. 16. 2. Mach. 14, 23-27. Galat. 5, 26. Ephes. 6, 4. Coloss. 3, 21.

a Job. 2, 9.

b Tobiae 2, 14-23. et 3, 1-12.

c Eccli. 28, 10. 11. Prov. 15, 18. 18, 6. 22, 10. 26, 17-22. 29, 22. 30, 33.

d Prov. 17, 11. 3, 30-35. Esaiae 33, 1.

VII.

Quando per Laudationem, vel Adulationem nostram peccato alieno foedamur?

Cum aliquem in malefactis, vel de improbitate commendamus, vel tan-

Prov. 24, 14-28. 27, 2. 28, 23. Psalm. 140, 5. Esaiae 5, 20.

Digitized by Google

quam re bene gesta, calcar addimus male currenti, ut ille in pravo instituto pergat. [a] *Vae autem qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis, ad capiendas animas*, ut est apud Prophetam. In hoc vitium incidunt nonnunquam Ecclesiastici [b] concionatores, et magistratus male vulgo blandientes, dum ejus licentiae palam favent et applaudunt. Recte autem Esaias: [c] *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Unde Paulus eos jubet vitari Doctores, [d] qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. *Quoniam enim* [e] *laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur, exacerbabit Dominum peccator*, ut Regius Propheta testatur.

Chrys. hom. 2. de Davide et Saule Cypr. de lapsis. Basil. hom. in Psalm. 61. Aug. in Psal. 134.

a Ezech. 13, 18.

b Hiere. 14, 13-16. 23, 13-40. 27, 9-15. 28, 15-17. 29, 8-10. Thren. 2, 14. 15. Mich. 3, 5-7. 11-12. 3. Reg. 22, 4-38.

c Esa. 3, 12. 9, 15-17. 30, 9-14.

d Rom. 16, 17. 18. 2. Petr. 2, 1-3. 12-22. Hieron. lib. 1. advers. Pelag. et lib. 2. adversus. Jovin.

e Psal. 9, 24. 25. 54, 22. Prov. 1, 10-14. 16, 29. 30. 17, 15. 29, 5. 6. Eccles. 7, 6. Hieremiae 9, 3-9.

VIII.

Quando Reticentiae nostrae culpa peccatum alienum in nos redundat?

Quum intempestivum nostrum silentium sive subdito, sive cuivis alteri adfert detrimentum. Exempli causa, si docendi, monendi, corripiendique fratris aut populi nobis munus incumbit, et in eo interim, dum prodesse possumus, sine justa causa cessamus. Unde per Esaiam testatur Dominus omni evangelizanti: [a] *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui*

Bern. de nat. Joan. Bapt. Greg. 2. parte curae Past. cap. 4. Aug. epist. 109. et hom. 7. ex 50. Prosper. lib. 1. de vita contemp. c. 20. Isidor. de summo bono, lib. 3. c. 44. 45. et 46.

a Esa. 58, 1. Hier. 23, 21. 22. 26, 1-3. 50, 1. 2. Jonae 1, 1-4. 1. Cor. 9, 16. 17.

Digitized by Google

Jacob peccata eorum. Audi porro periculum in his, qui non abs re canes [b] muti, latrare non valentes, dicuntur: [c] *Si dicente me ad impium, dicit Dominus, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Adeo necessarium est observatu, quod Paulus non sine gravi obtestatione postulat: [d] *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Tum idem alibi: [e] *Peccantes*, inquit, *coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.*

b Esaiae 56, 10.

c Ezech. 3, 18. et 33. 1-9. et ibidem Hieron. Item Greg. ho. 11. in Ezech. Act. 20, 17-21. 26. 27. Esaiae 6, 5. Hester 4, 13. 14.

d 2. Timot. 4, 2. Tit. 1, 7-13. 2, 15. Chrys. hom. 6. in epist. ad Philippenses.

e 1. Timoth. 5, 20. Levit. 19, 17. Aug. serm. 15. et 16. de verb. Dom.

IX.

Quando nostra Conniventia alienis criminibus implicamur?

Quoties id, quod facultate vel auctoritate nostra emendari vindicarique potest et debet, nos tamen impunitum et in pejus abire sinimus.

Ita peccant Magistratus, cum gladium [a] frustra portant, neque quod dicuntur, ministri Dei sunt, et vindices in iram his, qui agunt scelerate vel seditiose. Hoc modo a rege Saul [b] peccatum fuit, cum adversus Dei mandatum clementior esset, ac parceret hostibus Amalechitis. Peccatum idem ab Achab rege admissum est, quando Benadab regem Syriae in gratiam recepit: unde nec severam ita

Ambr. serm. 8. in Ps. 118. Orig. hom. 9. in Hierem. Hieron. ad Ripar. epist. 53. Aug. in Psal. 50. et ser. 25. de verb. Domin. Chrys. orat. 1. contra Judaeos.

a Rom. 13, 3-5. Sap. 6, 1-11. Psalm. 2, 10-13. Aug. 2. Retract. c. 5. Epist. 48. et 50. et 204. Item tract. 11. in Evang. Joan. Bern. serm. 66. in Cant.

b 1. Reg. 15, 9-11. 20-24. Judic. 20, 11-20. sq. Num. 25, 1-7.

Digitized by Google

comminantis Prophetae sententiam effugit: [c] *Haec dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus.* Eodem referri potest, quod Apostolus Corinthiis praecipit: [d] *Auferte malum ex vobis ipsis: Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum.*

Secundo, hic peccant [e] patres et matres familias, heri et praeceptores, dum sibi concreditos nimia dissimulatione et indulgentia quadam in educando perdunt, et negligentia socordiaque sua in discrimen permittunt adduci. Sic paternae prorsus indulgentiae culpa depravatos legimus filios [f] Heli, qui idcirco immodicae lenitatis suae poenas graves dedit.

Hic etiam addi potest peccatum, quod vocari solet Omissio fraternae [g] correptionis, admonitionis, vel reprehensionis. Quandoquidem Christus quoque semel atque iterum et tertio corripiendum esse fratrem monuit, ut peccantem illum [h] lucri faciamus. Quamquam alii distinguunt inter hujusmodi omissionem et priorem, de qua diximus, conniventiam, ut duos alieni peccati modos ex hisce constituant.

c 3. Reg. 20, 42.

d 1. Cor. 5, 13. 6. 7. Exod. 22, 18. Deut. 13, 1-18. 17, 12. 13. 18, 20-22. 3. Reg. 18, 19-40. Hieron. in cap. 5. ad Galat. Greg. lib. 12. epist. 31.

e Aug. in Psal. 50. Greg. 4. dial. cap. 18. Chrys. hom. 6. in 1. ad Tim. Eph. 6, 4. Hebr. 12, 7. 8. Prov. 13, 18. 19. 22, 6. 15. 23, 13. 29, 15. Eccli. 7, 25. 26. 22, 3-5. 30, 1-13.

f 1. Regum 3, 11-14. 4, 16-18. 3. Reg. 1, 4-6.

g Prov. 9, 7-9. 15, 5. 10. 12. 24, 24. 25, 8-12. 27, 5. 6. 28, 23. 29, 1. Eccles. 7, 6. Eccli. 7, 25. 10, 28. 11, 7. 19, 13-17. 20, 1-4. Psalm. 140, 5. Col. 1, 28. 1. Thess. 5, 12. 2. Thess. 3, 14. 1. Tim. 5, 20. 2. Tim. 2, 24. 4, 2. Tit. 1, 5-11. 2, 15.

h Matth. 18, 15-17.

Tob. 2, 19. Prov. 1, 10. 11. 13, 29, 24. Num. 16, 25-30. Eccli. 5, 1. 2. Paral. 29, 35-37. Greg. Turon. in gloriam confess. c. 63. et 71. Item l. 1.

X.

Quid est participatione alienum peccatum contrahere?

Id maxime fit, quando in partem lucri cum furibus, sive raptoribus ve-

Digitized by Google

nimus: cum itidem bona injuste parta, vel quovis modo aliena nobis una cum aliis scienter vendicamus aut retinemus: cum insuper spoliis alienis ditescimus. Quo pertinere videtur quod Psalmographus dixit, [a] cum furibus ipsis currere, et cum adulteris portionem habere. Sic et Esaias objicit populo Judaico: [b] *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Gravius adhuc delinquunt, qui lucrum sibi ex aliena [c] turpitudine aperte parant, ut lenones: quive latronibus, et notae turpitudinis vel factionis hominibus praebere audent hospitium et locum, quo se illi aut sua recipiant.

de gloria Mart. c. 36. 72. et 79. et l. 2. cap. 13. 14. 15. 16. 17. et 20. Theod. l. 3. hist. cap. 11. et 12. Vict. l. 1. persecut. Vand. Jos. 7, 20-26. Dan. 5, 1-31. 2. Mach. 3, 5-40. 5, 15—21. 9, 4—16. 1. Mach. 6, 10-13.

a Psalm. 49, 18. Aug. in Psalm. 129.

b Esaiae 1, 23.

c Deut. 23, 18.

XI.

Quomodo alienum peccatum nostra defensione committimus?

Cum aut malefactoribus patrocinamur, aut doctrinam alterius, quamvis perversam et impiam, tuemur, vel spargimus; quum nostra itidem cura vel opera, quod contra fas et aequum instituitur, promovere atque propugnare contendimus. Adversus hos divinum intonat oraculum: [a] *Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce: et dulce in amarum.* Ac rursus: [b] *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiescés sententiae, ut a vero devies.*

a Esaiae 5, 20. et 10, 1. 2.

b Exod. 23, 2.

Digitized by Google

Haec satis de peccatis, ut vocant, alienis, quae nunc profecto longe lateque patent, et summa quotidie licentia, a magnatibus praesertim, perpetrantur. Adeoque vulgo ea non caventur, ut plerique peccata non esse putent ac floccipendant, etiam si suas et aliorum saepe conscientias his criminum sordibus conspurcent, ac perpetuis poenis obligent. Possunt autem dictae species omnes in tria fere genera conjiti, breviterque, ut Magnus [c] Basilius ostendit, comprehendi. Quod enim in alieni erroris vel peccati societatem incidimus, id fit aut re et opere, aut voluntate certove animi proposito tantum; aut supina negligentia, si quando admonendi et emendandi officio nostro alii defraudantur.

c Basil. l. 2. de bapt. cap. 9.

Sed longe omnium deterrimum peccandi genus est, quo delinquitur in Spiritum sanctum.

DE PECCATIS IN SPIRITUM SANCTUM.

I.

Quid est peccatum in Spiritum sanctum.

Vide S. Thomam in 2. 2. quaest. 14.

Est, oblatam Dei munificentiam et gratiam, quae Spiritui sancto, ceu fonti bonorum, tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abjicere. Atque hoc est peccare inexpiabiliter, ut juxta Christi verbum, [a] nec in hoc

a Matth. 12, 31. 32. Mar. 3, 28. 29. Lucae 12, 10.

Digitized by Google

ipso, neque in futuro seculo talis tantique peccati remissio impetretur. Hac enim lege nobiscum agit Deus, ut nec gratiam in terris, neque gloriam in caelis tribuat aliis, quam qui peccatum detestantur agnitum, et praeter id bonum sibi proponunt, rectumque eligunt vitae institutum. Caeterum in hisce peccatis abest tum peccati detestatio, tum boni, quod sectandum erat, electio; et abjicitur praeterea id, quo Spiritus sanctus pro sua gratia hominem a peccando solet revocare. Hinc fit, ut ejusmodi peccatis implicati, Dei gratiam aut nunquam, aut raro et aegre admodum consequantur. Peccatur enim non ex humana imbecillitate vel fragilitate, quod vocant peccare in Patrem Patrisque potentiam, ut in Petro [b] Apostolo Christum ipsum negante cernimus: neque rursus ex ignorantia, quod est peccare, ut appellant, in Filium Filiique sapientiam, sicut [c] Saulo accidit Ecclesiam persequenti: sed quod longe gravius est, ex malignitate et pervicacia mentis peccatur: ut exemplum praebent perversissimi et obstinatissimi illi Pharisaei.

b Matth. 26, 73. 74. Vide Greg. l. 25. Moral. c. 16.

c 1. Tim. 1, 13. Act. 9, 1. 2.

II.

Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?

Ejusmodi sex recensentur, ut vulgo quidem recepta sunt eorum haec nomina: Praesumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, De-

Digitized by Google

speratio, Agnitae veritatis impugnatio, Fraternae charitatis invidentia, Obstinatio et Impoenitentia. Significantius autem erit, si quis ita numeret:

1. Divina misericordia confidenter abuti.
2. De gratia Dei, vel salute sua prorsus desperare.
3. Veritatem Religionis adversus suam ipsius conscientiam hostiliter oppugnare.
4. Pertinaci invidia concitari graviter ob alienae salutis, et virtutum fraternarum successum.
5. Obfirmato animo in crimine scienter persistere.
6. Absque poenitentiae proposito perversae vitae finem nullum facere.

Greg. in c. 3. lib. 1. Reg. et l. 33. moral. c. 15. Item lib. 6. epist. 22. Aug. vel Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. Bern. ser. 38. ex parvis sermonibus.

III.

Quaenam Praesumptio facit peccatum in Spiritum sanctum?

Ea, quae hominem sola Dei misericordia confidentem, et ad peccandum audacem facit, seposita videlicet ac abiecta omni justitiae timorisque divini ratione.

Et sic sane peccant hodie complures, qui sola [a] fide in Christum sibi blandientes, vel in mediis peccatorum sordibus, [b] ut jumenta, computrescunt; nec sibi solum, sed aliis itidem polliceri audent [c] securitatem, modo meritis Christi et Dei gratiae per fidem apprehensae fidant, quantumvis interim poenitentiae [d] fructus negligantur.

a Aug. de fide et operib. c. 14. et 22. in Enchirid. cap. 67. et Haeresi 54. Hier. in cap. 4. Oseae.
b Joel. 1, 17.
c 2. Pet. 2, 18. 19. Eccles. 8, 14. Conc. Trid. sess. 6. cap. 9. et can. 12. 13. et 14. Hieron. in c. 4. Danielis.
d Luc. 3, 8. 13, 3. Matth. 3, 8-10. Act. 26, 20. Eccli. 2, 22.

Digitized by Google

Horum vero singulis acclamat gentium Doctor in fide et veritate Paulus: [e] *An divitias*, inquit, *bonitatis Dei, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Quamobrem idem Paulus alibi fidem solam [f] adeo jactari non vult, ut etiam credentes omnes jubeat cum metu [g] ac tremore salutem suam operari: Fidemque commendat, non mortuam et otiosam, [h] ut Jacobus vocat, sed vivam et efficacem, quae per [i] charitatem legitime operatur. Contra hoc enorme peccatum sic Ecclesiasticus clamat: [k] *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores ira illius respicit.* Recte igitur Propheta: [l] *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine.* Tum alibi: [m] *Honor regis judicium diligit.*

e Rom. 2, 4. Eccles. 8, 11-13. Eccli. 15, 21. Aug. tract. 33. in Joan. et hom. 50. ex 50. cap. 10. Isidor. de summo bono, lib. 2. cap. 13.

f I. Cor. 13, 1-3.

g Philipp. 2, 12. Psal. 2, 11. Prov. 28, 14. Rom. 11, 20. I. Cor. 4, 4. 10, 12.

h Jac. 2, 14-26.

i Galat. 5, 6.

k Eccl. 5, 5-7. Eccles. 9, 1-3. Vide Aug. de perfect. Justitiae, resp. 19. Item de cor. rep. et grat. c. 13. et hom. 41. ex 50. et ser. 3. de Innocent. Greg. lib. 16. Moral. cap. 31.

l Psalm. 100, 1. Bern. ser. 52. ex parvis, et ser. 6. in Cant. Aug. de utilit. poenit. c. ult.

m Psalm. 98, 3.

IV.

Quomodo peccatur in Spiritum sanctum Desperatione?

Cum praesumptioni, de qua dictum est, contrarium prorsus vitium accesserit, ut omnem spem abjiciat homo vel impetrandae apud Deum veniae, vel salutis aeternae consequendae.

Aug. ser. 58. de temp. et homil. 21. ex 50. Greg. lib. 8. Moral. cap. 14. Isidor. lib. 2. de summo bono, cap. 14. Chrys. hom. 2. in Psalm. 50. Bern. serm. 5. de natal. Domin.

Hoc modo peccavit desperando Cain, ut sua ipse voce testatur, cum inquit,

Digitized by Google

[a] *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Peccavit et Judas, [b] Christi proditor, cum salutis desperatione commotus, vitam laqueo sibi infelix abrupit. Atqui [c] nulla nimis est sera homini poenitentia, uti [d] Latronis exemplo demonstratur, qui in cruce extremisque vitae spatiis Christi ingentem gratiam et caelestem gloriam est consecutus.

a Genes. 4, 1—14. Bern. serm. 11. super Cantica.
b Matth. 27, 3-5. Act. 1, 16-18. Eph. 4, 17. 18. 2. Reg. 2, 26.
c Ezech. 18, 21-32. 33, 12-16. 1. Joan. 1, 7. 9. 2, 1. Hierem. 3, 1. Esaiae 1, 16—18. Psal. 144, 8. 9. Eccli. 17, 20-28.
d Luc. 23, 39-43. Aug. l. 1. retract. cap. 19. Item de correp. et grat. c. 15. et serm. 181. de temp. c. 16. Leo epist. 91. ad Theod. Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.

V.

Quando veritatem impugnans peccat in Spiritum sanctum?

Quum de fidei, et Religionis negotio veritas non ex ignorantia, sed malitia studiose oppugnatur, ut hinc veritatis Catholicae laedatur sinceritas. Huic peccato Pharisaei [a] obnoxii erant, quibus vel praecipue videmus curae fuisse, tam maligne, quam falso, blasphemare Christum, insectari doctrinam Evangelii, testimonium [b] Apostolorum supprimere, idque contra suam ipsorum conscientiam. His non sunt absimiles, qui a Propheta dicuntur sedentes [c] in cathedra pestilentiae: a [d] Petro autem magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis: a [e] Paulo demum vocantur Haeretici, homines [f] corrupti mente, reprobi circa fidem, [g] attendentes spiritibus erroris, subversi, et suo ipsorum [h] judicio condemnati. Quibus annumerari potest seductor Elymas, quem Paulus palam objurgans, mira cum vehementia dixit: [i] *O plene omni*

Leo epist. 10. ad Flavian. cap. 1. Aug. de Gen. ad lit. lib. 7. c. 9. et tract. 18. in Evang. Joan. Item de utilit. cred. cap. 1. et lib. 18. de civit. Dei, cap. 51. et lib. 21. cap. 25.
a Matth. 12, 24. 15, 1-3. sq. 24, 37-45. 22, 15-21. Joan. 7, 41-52. 12, 10-19.
b Actor. 4, 16. 5, 18.
c Psalm. 1, 2.
d 2. Petri 2, 1-3.
e Tit. 3, 10. 11.
f 2. Tim. 3, 8.
g 1. Tim. 4, 1.
h Tit. 3, 11.
i Actor. 13, 10.

Digitized by Google

dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas!

Refertur ad hanc quoque classem [k] blasphemia Spiritus, quod peccatum Christus in Judaeis magnopere taxat, ac reliquis peccatis deterius facit. Atque utinam modo hic non peccaretur. Nam blasphemant Spiritum sanctum et illi, ut scribit [l] Damasus, qui contra sanctos Patrum Canones Spiritus sancti instinctu dictatos, libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui praesumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste unum genus est blasphemiarum in Spiritum sanctum. Sic Damasus.

k Matth. 12, 31. 32.

l Apud Gratianum 25. q. 1. Violatores.

VI.

Quomodo Invidentia fraternae gratiae peccatum est in Spiritum sanctum?

Quando dolemus ac tristamur graviter de splendore augmentove virtutum donorumque Dei, quibus frater est conspicuus.

Aug. lib. 1. de ser. Dom. in monte, cap. 43. et 44. et 1. retract. cap. 19.

Quod crimen non tam hominis videtur esse proprium, quam Satanae, [a] qui Dei gratiam in homine tum augeri, tum conservari fert impatientissime; et idcirco non modo fratrum [b] accusator, verum etiam Dei et bonorum omnium implacabilis est [c] adversarius, qui tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret. Satanae filii ex Judaeis fuere, qui nascentem Evangelii gratiam omni-

a Sap. 2, 24. 25.

b Apoc. 12, 10.

c 1. Pet. 5, 8.

Digitized by Google

d Act. 11, 2. 3. 13, 44. 45. sq. Gen. 4, 4. 5.

no gentibus invidebant, ut in Actis [d] Apostolicis legimus.

VII.

Quae obstinatio facit peccatum in Spiritum sanctum?

Aug. in enchir. c. 83. et in Psal. 58. concione I. Greg. hom. 11. super Ezech. Bern. l. 1. de Consid. et in serm. de conversione ad clericos, cap. 4.

Ea nimirum, quae obfirmatum plane animum adfert adversus bene monentem, ut nullis quidem rationibus ab instituto damnabili se deflecti quis patiatur.

a Exod. 7, et 8, 9, 10, 11, cap. Aug. quaest. 18. et 24. sup. Exod. et serm. 88. de temp. Greg. 31. moral. c. 11. et lib. 11. cap. 5.

b Exod. 14, cap.

c Hier. 5, 2-5. Esaiae 58, 4. Zach. 7, 9-12. Genes. 49, 5-7.

d Act. 7, 51.

Fuit hoc peccato insigniter obstrictus rex [a] Pharao, qui etsi toties moneretur a Moyse, et subinde flagellis Dei gravissimis affligeretur: tamen in proposito tyrannico perstitit, et periit [b] obstinatus. Nota est et Judaeorum invicta [c] pertinacia, quos suis veluti coloribus depingens Stephanus [d]: *Dura cervice*, inquit, *et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Nec sunt dissimiles hodie, qui novis addicti sectis, ne audire quidem aut legere sustinent Catholice docentem, quasi aspidum [e] instar occlusis illi contra dulcem melodiam, id est, sanam Ecclesiae doctrinam auribus, dicere videantur: [f] *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Quod nihil aliud est, quam, ut Paulus loquitur, [g] secundum duritiam et impoenitens cor thesaurizare sibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei. Nam ut Salomon quoque docet, [h] *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei super-*

e Psalm. 57, 5.

f Job, 21, 14.

g Rom. 2, 5.

h Prov. 29, 1. Bern. ser. 42. in Cantica.

Digitized by Google

veniet interitus, et eum sanitas non sequetur.

VIII.

Quando peccatum Impoenitentiae committitur?

Cum homo peccatorum suorum, quae salutari poenitentia expianda forent, fidem modumque nullum facit, ac proponit insuper se nolle unquam poenitentiam agere.

Aug. de verb. Dom. ser. 11. epist. 50. ad Bonifacium. Gelas. in tomo de anathematis vinculo.

Talium certe qui deplorate peccatores sunt, ac manere volunt, vita juxta et mors [a] pessima est, quum illi si non verbis, at re ipsa dicere videantur: [b] *Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Ac de his etiam dictum accipi potest, quod Joannes testatur, [c] *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.*

a Psalm. 33, 22.

b Esa. 28, 15. 3, 8. 9. Psal. 51, 3. 7. Prov. 2, 11-15.

c 1. Joan. 5, 16. Aug. de correp. et grat. cap. 12. et 1. Retract. cap. 19.

Haec dicta sint hactenus de peccatis in Spiritum sanctum, gravissimis illis quidem, et quae aut nunquam, aut aegre admodum a Deo homini remittuntur. Quapropter adversus ea saepe nos ipsos munire, et alios confirmare debemus, ut observetur illud: [d] *Nolite contristare, nolite extinguere Spiritum Dei:* [e] *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Non* [f] *obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Cor* [g] *enim durum habebit male in novissimo.* Nunc porro ad peccata, quae et ipsa non parum enormia sunt, et in caelum clamantia dici solent, accedamus.

d Ephes. 4, 30. 1. Thess. 5, 19.

e Psalm. 94, 8.

f Hebr. 3, 13.

g Eccl. 3, 27.

Digitized by Google

DE PECCATIS IN CAELUM CLAMANTIBUS.

I.

Quae dicuntur peccata in caelum clamantia?

Aug. in Enchir. c. 80. et lib. Annotat. in Job. ca. 30. et lib. 1. locution. de Gen. c. 60. et quaest. 5. super Exod. Greg. 3. p. curae past. admo. 32. et in 2. Psalm. poenitentialem.

Ea, quae prae caeteris insignem et manifestam improbitatem habere noscuntur, divinamque iram et ultionem insigniter accersunt iis, a quibus committuntur. Ejusmodi quatuor e scriptura numerantur, [a] Homicidium voluntarium, Peccatum [b] Sodomiticum, Oppressio [c] pauperum, et Merces [d] operariorum defraudata.

a Gen. 4, 9 11.

b Gen. 18, 20. 21.

c Exod. 22, 21-27.

d Deut. 24, 10-15. Jac. 5, 1-4.

II.

Quomodo Scriptura vindicari docet Homicidium voluntarium?

Vide Concil. Ancyr. c. 22. Epaunense. can. 31. Triburiense can. 54. et seq.

Graviter sane, quemadmodum hisce verbis Deus ostendit, quibus Cain primum increpat homicidam: [a] *Quid fecisti?* inquit. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.* Et alibi vox divina testatur: [b] *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Concinit Psaltes regius: [c] *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Summum enim hoc scelus est, et atrocissimam proximo injuriam adfert, qui vitam ei adimit absque legitima [d] auctoritate. Unde a Christo etiam dictum est, [e] *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

a Gen. 4, 10. 11. Ambros. lib. 2. de Cain et Abel cap. 9.

b Gen. 9, 6. Exod. 21, 12-15. Levit. 24, 17. Num. 35, 16—37. Deut. 19, 4. 13. 1. Joan. 3, 15.

c Psalm. 54, 24.

d Aug. l. 22. contra Faust. c. 7.

e Matth. 26, 52. et Apoc. 13, 10.

Digitized by Google

III.

Quid vero de Sodomitico peccato, ejusque punitione scriptum extat?

Homines *Sodomitae*, inquit [a] scriptura, *pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis:* Nefandum hoc et flagitiosum peccatum [b] Petrus et [c] Paulus coarguunt, tum natura ipsa execratur; Scriptura vero tanti flagitii magnitudinem his etiam verbis declarat: [d] *Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.* Unde ad Lot justum, et ab infandis [e] Sodomitarum stupris majorem in modum abhorrentem, sic Angeli loquuntur: [f] *Delebimus locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.* [g] *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de caelo, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem.* Neque tacet Scriptura causas, quae ad hoc pergrave peccatum Sodomitas impulerunt, et alios itidem permovere possunt. Sic enim legimus apud [h] Ezechielem: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

Huic autem flagitio nunquam satis execrando sunt obnoxii, qui divinam, immo et naturalem legem in Levitico

a Genes. 13, 13.
b 2. Pet. 2, 6-9.
c Rom. 1, 23-29. 1. Timoth. 1, 9. sq. Ephes. 5, 5. 6. 12. Judic. 19, 2. 2-25. 20, 46-48.
d Genes. 18, 20.
e 2. Petri 2, 6-9.
f Gen. 19, 13.
g Ibidem 24. 25. Sap. 10, 6-8. Deut. 29, 22. 23. Judae 7. Gen. 13, 10. Vide Greg. 14. Moral. c. 10. Aug. lib. 16. de civit. Dei, c. 30. Tertul. in Apologetico adversus gentes c. 39.
h Ezech. 16, 49.

Digitized by Google

scriptam, violare non verentur. Ea sic habet: [i] *Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo.* Quod si fiat, terram ipsam tam tetris ac nefandis libidinibus pollui, ac iram divinam adversus populum majorem in modum concitari, tum crimen [k] mortis supplicio expiandum esse, eodem [l] loco monemur. Unde Paulus non semel etiam arguit masculorum [m] concubitores: damnat praeterea immundos atque molles. E quibus unus erat Onan [n] Judae filius, qui praesentem Dei ultionem effugere non potuit, quod in terram semen funderet, pejorque bestiis, naturae honestatem ac ordinem vellet perrumpere.

i Levit. 18, 22. 23. Deut. 27, 21. Vide Chrys. hom. 4. in epist. ad Roman. Tertul. in libro de pudicitia. Aug. lib. 3. confess. cap. 8. et epist. 109.

k 1. Cum vir nubit. Cod. ad legem Jul. de adult.

l Levit. 20, 13. 23. Exod. 22, 19. Joël. 3, 2. 3.

m 1. Cor. 6, 10. Rom. 1, 23-29. 1. Tim. 1, 9. sq. Galat. 5, 19-21.

n Genes. 38, 8-10. Hieron. in cap. 5. epist. ad Ephes.

IV.

Quid Scriptura de pauperum Oppressione proponit?

Advenam *non contristabis*, dicit Dominus [a] *neque affliges eum: advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti. Viduae et pupillo non nocebitis: si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.*

a Exod. 22, 21-24. Deut. 15, 7-11. 24, 10-13. 17. Eccli. 35, 16-19. Hierem. 21, 12. et 22, 1-5. Malach. 3, 5. 2. Reg. 12, 1-6.

Quapropter Aegyptii tot plagis [b] attriti, et cum suo rege crudelissimoque tyranno Pharaone, qui ne a parvulis [c] quidem Hebraeorum occidendis sibi

b Exod. 7. et deinceps.

c Exod. 1, 8-22.

Digitized by Google

temperavit, submersi [d] demum fuere, videlicet ob suam in Israëlitas plusquam barbaricam immanitatem. *Vidi*, inquit Dominus, [e] *afflictionem populi mei in Aegypto, et clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui praesunt operibus; et sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum.* Hinc apud Esaiam quoque interminatur Dominus: [f] *Vae qui condunt leges iniquas: et scribentes injustitiam scripserunt: ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei: ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent.* Et apud eundem Prophetam de inhumanis et iniquis magistratibus extat haec quaerimonia: [g] *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera: sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad illos.* Item, [h] *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Nec dubium, quin civitates et provinciae hoc execrando peccato, quod a tyrannicis Magistratibus perpetratur, in summum saepe discrimen adducantur.

d Exod. 14, 27. 28.

e Exod. 3, 7. 8.

f Esaiae 10, 1. 2. Deut. 27, 15. Job. 24, 1 - 12. Matth. 23, 14.

g Esa. 1, 23. Hierem. 5, 28. 29. Zach. 7, 8 - 11. Psalm. 93, 3-9. Amos. 5, 11 - 12.

h Esa. 3, 12.

V.

Quid postremo Scriptura docet de mercede operariis retenta vel imminuta?

Apud Jacobum Apostolum legimus, quam is graviter divitibus exprobret crudelem tenacitatem, summamque in defraudandis operariis iniquitatem.

Digitized by Google

a Jac. 5, 4. [a] *Ecce merces*, inquit, *operariorum qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit:* [b] Ecclesiasticus vero in hunc modum, *Panis egentium*, ait, *vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Quis effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

b Eccli. 34, 25 - 27. 7, 22. 23.

c Deut. 24, 14. 15. Levit. 19, 13. Tobiae 4, 15. Malach. 3, 5. Itaque lege divina sancitum est: [c] *Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante soli occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.*

VI.

Quo referenda est omnis haec de peccatis tractatio, et quis illius usus?

Haec tractatio ad priorem spectat Christianae Justitiae partem, quae in malis cognoscendis et fugiendis est posita: Usus autem ac fructus tractationis est, ea quae vere mala, Deo contraria, hominibus perniciosa sunt, rite discernere, discreta prorsus cavere; et si quid horum admissum sit, sedulo expiare.

Hinc etiam discimus, quomodo sapiens a stulto, justus ab impio differat. [a] *Sapiens enim timet et declinat a*

a Prov. 14, 16.

Digitized by Google

malo: Stultus vero transilit, et confidit. [b] *Non* enim *recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris quae versantur in corde ejus*, teste Salomone, qui hoc etiam scriptum reliquit: [c] *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem: via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Plerique certe peccata quae indicavimus, perniciosas illas animorum pestes turpiter [d] ignorant: alii, ut norint maxime, non fugiunt tamen, neque detestantur. Pessimi vero illi sunt, qui peccati consuetudine [e] obduruerunt, de quorum genere dictum est illud: [f] *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia et opprobrium.* Ea vero in primis contemnit, quae Christiana justitia non solum ad vitiorum observationem seu differentiam cognoscendam, sed etiam ad eorum devitationem et expiationem adhibendam postulat.

b Prov. 18, 2.

c Prov. 4, 18. 19.

d Aug. de grat. et libero arbit. cap. 3. et lib. 3. de lib. arb. cap. 22. Bern. epist. 77. ad Hugonem. Chrys. hom. 26. in epist. ad Romanos.

e Vide supra de obstinatione. et August in enchirid. cap. 80.

f Proverb. 18, 3.

DE PECCATORUM EXPIATIONE.

Concil. Trident. sess. 5. can. 3. et sess. 6. ca. 2. et 1.

I.

Quibus vero modis peccata expiantur?

Hic in primis est extra controversiam, Christum nobis esse [a] propitiatorem, et illum Dei [b] agnum, qui tollit peccata mundi, quique solus re-

a Rom. 3, 24-28. 1. Joan. 2, 1. 2. 4, 10. 1, 7.

b Joan. 1, 29. Matth. 1, 21. 1. Cor. 1, 30. 31. 1. Tim. 2, 5. 6. Hebr. 1, 3. 9, 11-14. Act. 4, 11. 12.

Digitized by Google

missionem peccatorum nobis potuerit promereri, et purgationem eorum facere. Deinde certum est, Deum fide purificare corda, ut Petrus [c] inquit, quod citra fidem (humanae salutis ostium ac fundamentum) nullus peccatorum remissionem aut expiationem consequi aut sperare possit. Fide vero [d] destituuntur, qui cum Ecclesiae fide non consentientes, vana quadam [e] fiducia peccati remissionem et justificationis gratiam propter Christum sibi aliisque pollicentur.

c Actor. 15, 7—9. Hebr. 11, 1. 6. Galat. 2, 16. 3, 8. Rom. 3, 24—28. Lucae 7, 50. Ephes. 2, 8—10. Trident. sess. 6. c. 8.

d Aug. tract. 67. in Joan. Leo. serm. 4. de nativit. Dom.

e Vide supra de praesumpt.

Qui vero in Ecclesiae fide et ejus unitate persistentes, a peccatis cupiunt liberari, multos illi modos [f] ad peccatorum suorum expiationem in scriptura propositos habent, inter quos principem tenet locum Poenitentiae Sacramentum, quo neglecto, [g] frustra de reliquis lethalium peccatorum remediis adhibendis agitur. Hoc enim ut praesens, ita necessarium pharmacum Christus animarum medicus instituit, contra omnem peccati lepram valiturum, idque commendans dixit Sacerdotibus: [h] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

f Cyrill. lib. 2. in Levit. Aug. lib. 2. contra Cresc. c. 12. Chrysost. concione 4. de Lazaro in fine et hom. 6. in Joan.

g Vide supra de sacram. poenit.

h Joan. 20, 23.

2. Secundo purgantur et expiantur eleëmosyna, quia scriptum est: [i] *Eleëmosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Monet igitur Propheta: [k] *Peccata tua eleëmosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

i Tob. 4, 11. 12, 9. Eccli. 3, 14-17. 33. Prov. 13, 8. 15, 27. 16, 6. Luc. 11, 41.

k Daniel. 4, 24. Esaiae 1, 17. 18. Hebr. 13, 16. Vide inferius de eleëmosyna.

Digitized by Google

3. Tertio remittuntur peccata, dum quantumvis laesi, fratri offensam condonamus dicente Domino: [l] *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater coelestis delicta vestra.*

l Matth. 6, 14 et 18, et 35. Luc. 6, 37. 38. Marc. 11, 25. 26.

4. Quarto idem fit, cum peccantem fratrem corripiendo emendamus ac lucrifacimus sicuti scriptum est: [m] *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

Eccl. 28, 2.

m Jac. 5, 20.

5. Quinto huc pertinet abundantia sincerae charitatis, ad impetranda et conficienda bona omnia praepotentis, ob quam de Magdalena dicitur: [n] *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* [o] *Charitas enim operit multitudinem peccatorum.*

n Luc. 7, 47.

o Prover. 10, 12. I. Petr. 4, 8.

6. Sexto, ad idem valet contriti [p] cordis sacrificium, quod nunquam despicit Deus, et humilis cognitio sui, confessioque peccatorum. [q] Respicit enim Dominus in orationem humilium, et non despicit preces eorum. Ut hinc etiam David de se ipso testetur: [r] *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Ac Joannes generatim omnibus vere confitentibus hanc gratiam pollicetur: [s] *Si confiteamur,* inquit, *peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Igitur [t] Ninivitae, cum humilitatis et poenitentiae operibus sedulo insisterent, praesen-

p Psalm. 50, 19. Luc. 18, 13. Matth. 18, 32. Eccl. 21, 1.

q Psalm. 101, 18.

r Psalm. 31, 5.

s I. Joann. 1, 9.

t Jon. 3, 5-9. Matt. 12, 41. Luc. 11, 32. 3. Reg. 21, 25-29. Sap. 11, 2. 4. Cypr. l. 1. epist. 8. et l. 4. epist. 4. et lib. 5. epist. 12.

Digitized by Google

tem Dei iram placaverunt, et jamjam imminens urbi ac patriae exitium averterunt. Quare sic de illis scriptum legimus: [v] *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est* Deus *super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.*

v Jonae 3, 10. Num. 25, 11-13. Psalm. 105, 30. 31.

Sic demum scriptura teste discimus, [x] his aliisque modis et officiis verae pietatis Christi gratia editis, hoc effici, ut credentium et poenitentium in Ecclesia sicut diximus, peccata expientur. Eoque spectans Apostolus monet: [y] *Has habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore* Dei. Nec minus graviter Jacobus: [z] *Emundate*, inquit, *manus peccatores, et purificate corda, duplices animo. Miseri estote et lugete et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in meororem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.* Etenim non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, ut [a] Augustini verbis iterum utamur, nisi etiam de iis quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosynis.

x Proverb. 10, 2. Act. 8, 22. 23. 2. Cor. 7, 9. 10.

y 2. Cor. 7, 1. 2. Tim. 2, 19-21.

z Jac. 4, 8-10. Ezech. 18, 27.

a Homil. 50. ex 50. c. 15. et in enchir. c. 70. et Cypr. de lapsis in fine, et alii, ut supra de Satisfactione.

Alioquin quisquis de peccatis lethalibus in se aliqua dominari cognoverit, ut idem [b] Augustinus est auctor, nisi digne se emendaverit, et si habuerit

b Serm. 41. de Sanctis.

Digitized by Google

spatium, longo tempore poenitentiam egerit, et largas eleëmosynas erogaverit, et a peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit [c] Apostolus, purgari non poterit, sed aeterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. Non enim capitalia post hanc vitam, sed minuta peccata purgantur, expianturque.

c I. Cor. 3, 12-15. Idem Aug. ho. 16. ex 50. In enchirid. c. 67. Item de fide et operib. c. 16. et q. 1. ad Dulcitium.

II.

Quid vero de minutis peccatis est sentiendum?

Id scilicet, quod ejusmodi leviora, uti mentis evagatio, verbum otiosum, risus immoderatus, et consimilia, quae quotidiana, seu venialia peccata dicuntur, et sine quibus haec vita non ducitur, [a] *In multis enim offendimus omnes;* ut antea quoque monuimus; etsi lethalia non sunt, et in speciem minuta videntur, tamen haud quaquam sunt [b] contemnenda. Siquidem Deo displicent, seu, ut Paulus loquitur, [c] contristant Spiritum sanctum, obfuscant conscientiam, Charitatis fervorem imminuunt, virtutumque profectum remorantur, et ad graviora saepe vitia periculaque pertrahunt. Unde scriptum est: [d] *Qui spernit modica, paulatim decidet.* [e] *Qui amat periculum, peribit in illo.* [f] *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.*

Aug. in enchir. c. 78. 79. et l. 21. de civit. Dei, c. 27. Isid. l. 2. de summo bono cap. 18.

a Jac. 3, 2. I. Joan. 1, 10. Eccl. 7, 21. Prov. 24, 16. Psalm. 31, 5.

b Aug. de decem chordis. c. 11. et in Psalm. 129. Serm. 244. de temp. Item tract. 12, in Joan.

c Ephes. 4, 30. Chrysost. hom. 87. in Matth. et hom. 8. in 1. Cor. et in serm. de levium pectator. peric. Bern. serm. 1. de convers. Paul. et in tractat. de praecep. et dispens.

d Eccles. 19, 1.

e Ibidem 3, 27.

f Ecclesiast. 9, 18.

Cavendae sunt igitur, quantum licet, hae labes et sordes animae: quoniam ut legimus, [g] *Non intrabit in coelestem Hierusalem aliquid coinquinatum.*

g Apoc. 21, 27. Psal. 14, 1-3. 23, 34.

Digitized by Google

Ac nisi in hac vita illae diluantur, etiam [h] post mortem hominem gravant, nec sine poenis quidem acerbis purgatorii ignis expiantur. Qui quidem ignis, etsi perpetuus non sit, tamen si [i] Augustino credimus, gravior est, quam quidquid homo in hac vita potest perpeti.

h Vide supra de Satisfactione.

i In Psalm. 37. et serm. 41. de sanctis. Gregor. in 3. Psal. poenit.

III.

Quibus autem remediis peccata leviora purgantur?

Ut ejusmodi animae sordes in hac vita diluantur, Ecclesia vetus remedia isthaec [a] agnovit, et in usu habuit, humilem sui accusationem, Dominicam precationem, pectoris tunsionem, et alias id genus pias in Deum ac etiam erga proximum exercitationes, corporisque afflictiones sponte ac religiose susceptas. Quae quidem remedia tanto lubentius ac studiosius amplectuntur sapientes, quo rectius norunt, et diligentius expendunt divinae justitiae in vindicandis [b] peccatis severitatem. Quod vel ex illa metuenda Christi sententia planum fieri potest: [c] *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Itemque ex illo dicto Petri: [d] *Justus vix salvabitur.* Ut hinc Job, vir alioquin justus et innocens, dixerit: [e] *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Et Apostolus Paulus: [f] *Horrendum est incidere in manus Dei*

a Ang. epist. 108. in Enchir. cap. 71. et 72. in Joan. tract. 12. Serm. 41. de sanctis. Lib. 21. de Civitate cap. 27. et hom. 50. ex 50. c. 3. Conc. Tolet. 4. can. 9.

b Job. 24, 12. Prosp. in sent. Aug. c. 210. et in Psalm. 58.

c Matth. 12, 36.

d 1. Petr. 4, 18.

e Job. 9, 28.

f Hebr. 10, 31.

Digitized by Google

viventis: [g] *Quod si nos ipsos dijudicaremus*, ut idem admonet, *non utique judicaremur.* [h] *Beatus* igitur *homo, qui semper est pavidus, qui vero mentis est durae, corruet in malum.*

g 1. Cor. 11, 31.
h Prov. 28, 14.

IV.

Anne satis est, a peccatis abstinere?

Justitia quidem Christiana, de qua hucusque diximus, duas partes proponit, et velut aeque necessarias, nobis commendat, hisce verbis: [a] Declina a malo, et fac bonum. Sicut et Paulus docet: [b] Odientes malum, et adhaerentes bono. Non sufficit igitur, quod [c] Augustinus perspicue dixit, abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est: et parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse.

Quapropter absoluta utcumque Justitiae priore parte, quae mala prohibet, consequens est, ut favente Christo, de altera porro, quae in bonis consectandis est posita, dicere pergamus.

Bernard. ser. 34. ex parvis serm. Chrys. in Psal. 4. et hom. 16. in epist. ad Eph. Aug. serm. 59. de tempore.
a Psalm. 36, 27. et 33, 15. et ibidem August.
b Rom. 12, 9. 1. Petr. 3, 10. 11. Tob. 4, 22. Esaiae 1, 16. 17. Eccl. 3, 32. Coloss. 3, 8-10. Eph. 4, 22-32. Jac. 4, 17. Matth. 3, 10. 7, 19.
c In sententiis Prosperi c. 86. Aug. l. 19. de civit. Dei, cap. 14.

DE TRIPLICI GENERE BONORUM OPERUM.

I.

Justitia Christiana circa quae bona versatur?

Haec Justitia tam [a] late patet, ut omnia bona, quae honeste, juste ac pie fiunt, in se contineat, nobisque expetenda et consectanda proponat. Unde

a Chrys. in Psalm. 4, et 14 et hom. 23. in Gen.

Digitized by Google

ita fideles Apostolus commonefacit: [b] *Ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes:* [c] *providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hic enim nostrae vocationis, et Christianae justitiae per Christum partae verus est usus ac fructus proprius, Petro [d] teste: *Ut peccatis mortui, justitiae vivamus;* hoc est, quemadmodum a Paulo explicatum est: [e] *Ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc seculo.* In eundem sensum nobis proponitur Evangelicum illud: [f] *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Nam idcirco redemit nos Christus [g] *ab omni iniquitate, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* [h] *Ipsius enim Dei sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis: quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

Ita constanter Paulus scribit, omnesque admonet de observanda et colenda semper Justitia Christiana. Proinde Joannes etiam prudenter admonet, et absolute definit: [i] *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est: qui facit peccatum, ex diabolo est.* Et Jacobus constanter docet: [k] *Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Sicut*

b Coloss. 1, 10.

c Rom. 12, 17. 2. Cor. 8, 21. Matth. 5, 16. 1. Pet. 2, 12. 15. 19-24.

d 1. Pet. 2, 24.

e Tit. 2, 12. Vide Bern. serm. 2. de resurrect. Dom.

f Lucae 1, 74. 75.

g Tit. 2, 14.

h Ephes. 2, 10.

i 1. Joan. 3, 7. 8.

k Jac. 2, 24. 26. Aug. in Praefat. in Psalm. 31. Item

Digitized by Google

enim corpus sine spiritu mortuum est: ita et fides sine operibus mortua est. Tum idem rursus: [l] *Qui perspexerit in lege perfectae libertatis* (sive in legem perfectam, quae est libertatis) *et permanserit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Nec aliud sane voluit Paulus, cum diceret: [m] *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

de fide et operib. cap. 14. Chrysost. hom. 2. in Gen.

l Jac. 1, 25.

m Rom. 2, 13.

II.

Quem fructum pariunt Opera justitiae Christianae?

Praeclarum sane atque multiplicem, cum in hac, tum in futura vita. Huc enim spectat Pauli sententia: [a] *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Tum alibi scriptum legimus: [b] *Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

1. Primum enim haec opera ex viva fide, id est, per [c] charitatem operante profecta, non modo signa sunt Christianae vocationis, sed eandem nobis quoque confirmant, certamque faciunt. Quamobrem Petrus Apostolus, qui ad opera bona nusquam non cohortatur, hoc etiam adjecit: [d] *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes non peccabitis aliquando.*

2. Secundo gratiam credentibus [e] augent, atque [f] sanctificationem perficiunt, Apostolo teste: ut hinc etiam

a 1. Tim. 4, 8. Prov. 11, 17. 18. 2. Paral. 15, 1. 2. 7. 19. 21. 29. Matth. 10, 41. 42. Gen. 12, 1-3. 15, 1. Eccli. 12, 2. 36, 18. Hierem. 31, 16.

b Sap. 3, 15. 10, 17. Malach. 3, 13-18. 1. Cor. 15, 58. Hebr. 6, 10-13. sq.

c Galat. 5, 6.

d 2. Petri 1, 10. Cypr. l. 1. epist. 1. ad Cornel. in fine.

e 2. Cor. 9, 10-14. Col. 1, 10. 11. 1. Pet. 2, 1.

f 2. Cor. 7, 1. Rom. 6, 22. Apoc. 22, 11. Eccli. 18, 22. Trid. sess. 6. c. 10.

Digitized by Google

Jacobus affirmet, quod Fides, quae operibus cooperatur, ex [g] iisdem quoque consummetur.

3. Tertio [h] fiduciam bonae conscientiae pariunt, magisque ad orandum et quidlibet a Deo impetrandum animant. Scriptum est enim: [i] *Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna omnibus facientibus eam.* Et rursus: [k] *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quae sunt placita coram eo, facimus.* Exemplum extat in Ezechia Rege, qui bona conscientia fretus, ac Dei voce in hoc ipso comprobatus, dixit: [l] *Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto; et quod bonum est in oculis tuis, fecerim.*

4. Demum id efficiunt, ut laborantes in vinea [m] Christi, denarium diurnum accipiamus, hoc est, promissam aeternae vitae mercedem, justitiaeque [n] coronam, quam in Ecclesia [o] Dei mandata servantes, [p] in Christo [q] promeremur. [r] Ait igitur Dominus: *Voca operarios, et redde illis mercedem.* Ait David: [s] *Servus tuus custodit ea*, divina scilicet praecepta: *in custodiendis illis retributio multa.* Ac iterum: [t] *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Ait et Paulus: [v] *Bonum*

g Jac. 2, 23.
h Joan. 3, 20. 21. 1. Joan. 4, 17. Jac. 2, 25. Gal. 6, 3-5.
i Tobiae 4, 12.
k 1. Joan. 3, 21. 22. Joan. 15, 7. Aug. in praef. in Ps. 31.
l Esai. 38, 3. 4. Reg. 20, 1-3. sq. Psal. 7, 1. 16, 10. 15. 17, 21-25. 25, 1. 11. 12. 34, 23. 24. 131, 1.
m Matth. 20, 1-10. Aug. tract. 67. in Joan. et Greg. l. 4. dialog. c. 35.
n 2. Tim. 4, 8. Jac. 1, 12.
o Matth. 19, 16. 17.
p Joan. 3, 21. 15, 1-5.
q Eccli. 16, 15. Hebr. 13, 16. Sap. 3, 5. 2. Thess 1, 3-7. Apoc. 3, 4. 5. Trid. sess. 6. c. 16. Cypr. de unit. Ecclesiae Aug. epist. 105. et lib. de morib. Eccl. Cathol. c. 25.
r Matth. 20, 8. Sapient. 5, 16.
s Ps. 18, 12. Hebr. 11, 6. 24-25. Luc. 14, 12-14. Colos. 3, 23. 24. Eph. 3, 7. 8. 2. Cor. 4, 17. Aug. in Psal. 93.
t Psalm. 118, 112. Matth. 19, 11. 12. Aug. in Psalm. 120.
v 2. Tim. 4, 7. 8. Aug. hom. 14. ex 50. Item in Psal. 83. et 100. et tract. 3. in Joann. 2. Concil. Araufic. cap. 18. Matth. 5, 11. 6, 4-6. 17. 18. 10, 41. 42. Apoc. 2, 7. 10. 26. 3, 11. 21. 14, 13.

Digitized by Google

certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. Ait denique et ipse Christus: [x] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et iterum: [y] *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Tum alibi: [z] *Qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.*

x Matth. 19, 17.
y Joan. 5, 29. Matth. 25, 34 sq. Aug. in Ps. 49.
z Matth. 7, 21.

Ex quibus fit perspicuum, quanti nostra omnium referat, si vitam aeternam cupimus, divinas observare voces: [a] *Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce venio cito: et merces mea mecum est, reddere* [b] *unicuique secundum opera sua.* [c] *Bonum igitur facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes.*

a Apoc. 22, 11-12. Eccli. 18, 22.
b Psalm. 61, 13. Matth. 16 27. Rom. 2, 6 13. 1. Cor. 3, 1-15.
c Galat. 6, 9. Eccli. 51 38. Aug. in Psalm. III. et quaes. 4. ad Dulcitiam.

III.

Quot sunt genera bonorum operum, in quibus justitia Christiana praecipue cernitur et exercetur?

Ejusmodi sunt triplicia, sicut sacris e litteris accipimus, videlicet, Oratio, Jejunium et Eleëmosyna. Nam reliqua fere benefacta, quae ex fide viva proficiscuntur, et justitiam Christianam commendant, augent atque consummant, ad hosce tres fontes facile

Petrus Chrysologus. serm. 43. Leo ser. 1. et 4. de jejunio Ninensis. Bern. in sententiis. sectione II.

Digitized by Google

[a] referuntur. Hinc illa praeclara vox Angeli Raphaëlis, [b] *Bona est Oratio cum Jejunio, et Eleëmosyna, magis quam thesauros auri recondere.* Augustinus vero dilucide dixit: [c] Haec justitia hominis in hac vita, Jejunium, Eleëmosyna, Oratio.

De quibus Christus [d] ápud Matthaeum sigillatim docet, additque promissiones de parata coelesti mercede de iis, qui in Ecclesia citra [e] hypocrisin sincere jejunant, orant, ac eleëmosynam tribuunt. Hinc fidelis illa sponsio toties repetita: [f] *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Et haec ipsa sunt, in quibus Christus, ut bene beateque vivamus, abundare [g] vult nostram justitiam, et ita lucere [h] coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem. Ad haec praestanda in Christo creati [i] et destinati sumus, quae nimirum praeparavit Deus, ut in illis ambulemus. Propter [k] haec e charitate praestita, justi in regnum adsciscentur aeternum: ob eadem vero neglecta, injusti in gehennam ignis praecipitabuntur.

Ut vero [l] Pharisaicum ac vanum est, cum aliorum contemptu seipsum justificare, et suis [m] operibus fidere: ita Christianum est atque legitimum, hominem cum sui submissione operibus bonis operam sedulam dare, et si quando gloriari velit, in [n] Domino glo-

a Aug. de Perfect. justitiae, respons. 16.
b Tobiae 12, 8.
c In Psalm. 42.
d Matth. 6, 1-18.
e Aug. serm. 6. de tempore.
f Matth. 6, 4.
g Matth. 5, 20.
h Idem.
i Ephes 2, 10.
k Matth 25, 34-46. Joan. 5, 28.
l Lucae 18, 11
m Roman. 10, 3. Trid. conc. sess 6. c. 16.
n 1. Cor. 1, 30. 2. Cor. 10, 17.

Digitized by Google

riari, ut qui operatur in nobis velle et perficere, [o] Apostolo teste.

[o] Philip. 2, 13.

IV.

Quid est Jejunium?

Non simplex hujus nominis est acceptio. Magnum et generale Jejunium [a] Augustinus vocat, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus seculi. Deinde [b] Philosophicum, ut quidam vocant, Jejunium, est parsimonia illa cibi ac potus, moralisque sobrietas, qua temperate etiam ab Ethnicis secundum rectam rationem vivitur. Tertio [c] Ecclesiasticum est Jejunium, utpote cum juxta certum Ecclesiae morem atque praescriptum, certis diebus et carnium esum nobis subtrahimus, et unica dumtaxat refectione contenti sumus. Cujuscemodi Jejunium pie et Christiane [d] suscipitur ad cultum divinum religiosius exhibendum, ad carnem edomandam spirituique subjiciendam, ad fructus poenitentiae dignos praestandos, ad obedientiam exercendam, ac demum ad quamlibet Dei gratiam consequendam.

[a] Aug. tract. 17. in Joan. et lib. 2. q. evang. cap. 18.

[b] Hieron. l. 2. adversus Jovin.

[c] Clemens constit. Apost. lib. 5. c. 13. 16. 19. 20. et 21. Isid. lib. 1. de eccl. off. cap. 36. et seq. Raban. de instit. cler. cap. 17. et sequentibus. Ivo parte 4. cap. 25. et seq. Burchard. lib. 13.

[d] Cypr. de jejun. et tentationibus Christi. Athan. de Virg. Chrys. hom. 1. et 2. in Gen. et ser. de jejun. Basil. crat. 1. et 2. de jejur. Aug. de utilit. jejunii. Ambr. in lib. de Helia et jejun. et epist. 82. Leo in serm. de jejunio 7. et 10. mensis Pentecostes et quadragesimae.

V.

Quid vero his respondendum est, qui legem Ecclesiastici jejunii convellunt atque contemnunt?

Primum admonendi sunt isti, ne falso Catholicis affingant, quod Apostolus [a] detestatur, et Ecclesia semper damnavit in Judaeis, Manichaeis et

[a] 1. Tim. 4, 1-4. Coloss. 2, 16. 17, 21-23. Deut. 14. 2-21. Can. Apost. 50 et 52. Conc. Gangrens. can. 2. 1. Tolet. in assertione fidei. Braccar. 1. canon. 14. et 32.

Digitized by Google

Priscillianistis: quod videlicet aut secundum legem Mosaicam, aut ex superstitione a cibis quibusdam abstineant. Catholici enim, sicut Augustinus Fausto Manichaeo [b] respondet, quod a carnibus abstinent, edomandi corporis causa id faciunt, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod carnes esse immundas credant. Nec solum a carnibus, verum a quibusdam etiam terrae fructibus abstinent, vel semper, sicuti pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicuti per Quadragesimam ferme omnes. Sic Augustinus. Atque ante illum idipsum etiam docet Epiphanius, ubi confutat Aërianam haeresim, [c] quae stata Ecclesiae jejunia cuique libera esse vult, atque ad ea neminem obligari.

Quod autem in publicis [d] jejuniis, sicut et in precationibus et feriis, ratio temporis observatur, id ordinem et concordiam publicam in Ecclesia confirmat, illustrat ac promovet. Deinde privata jejunia non ita multi quidem imponerent sibi, utpote naturali carnis amore ventrisque studio ad suscipienda ea impediti.

Jam quod magni momenti, et certi meriti sit, ejusmodi jejunia reverenter amplecti, seduloque observare, tam aperte probat [e] Hieronymus contra Jovinianum, hac de re amplius ut a nullo possit dubitari. Quibus addenda

b Lib. 30. contra Faust. ca. 5. et de morib. Manich. c. 13. et 14 Cont. Adimant. c. 14. Item. Theod. in Epitome divinorum decret. c. de abstinent. Bernard. serm. 66. in Cant. Isidor. lib. 1. de Off. Eccl. c. 44. Genes. 1, 29. 2, 16. 17. 9, 3. Levit. 10, 9-11. Num. 6, 2. 3. Judic. 13, 2-4. 13. 14. Hier. 35, 1-19. Dan. 1, 8-17. 10, 2. 3. Matth. 3, 4. Mar. 1, 6. Luc. 1, 13-15. Actor. 15, 19. 28. 29. Rom. 14, 19. 21. 1. Cor. 8, 9 — 13. 1. Tim. 5, 23. Sexta syn. Constantinop. can. 56. Greg. ad Aug. Anglo. episc. teste Grat. dist. 4. et Ivo p. 4. c. 29. Athanas. in vita Antonii. Hier. in vita Pauli eremitae et Hilarionis. Epiph. in compen. doct. eccl. Cath.

c Haeresi 75. et Aug. haeresi 53. Item Damasc. de haeresibus.

d Hier. in epist. ad Galat. cap. 4. Leo ser. 3. et 4. de jejunio 7. mens. et ser. 4. de quadrag. Basil. Orat. 2. de jejunio.

e Lib. 2. Aug. haeresi 82. et Ambr. ep. 82.

Digitized by Google

sunt, quae supra docuimus de praeceptis Ecclesiae observandis, idque ad scandalum [f] evitandum, et ob disciplinam publicam retinendam, neque modo propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut Apostolus [g] dixit.

Constat autem, sicut omnium aetatum [h] scriptores comprobant, Ecclesiae disciplinam, consuetudinem, traditionem, sanctionem hanc et esse constantem, et inde ab initio fuisse, ut diebus quibusdam, praesertim [i] Quadragesimae, Jejunium hoc Ecclesiasticum observaretur. Ita docent Canones [k] Apostolorum et sacrosanctae [l] Synodi. Gangrensis [m] quidem anathemate eos ferit, qui communia totius Ecclesiae jejunia contemnunt: Toletana [n] vero communione eos privari jubet, qui sine inevitabili necessitate et evidenti languore carnibus in Quadragesima vescuntur.

Et singularis Patrum est ardor in commendando, urgendo, et exigendo [o] jejunio, praesertim Quadragesimae, quod quidem ab Apostolis [p] institutum videri volunt. Ab hoc Patrum spiritu sunt alieni, qui jejuniorum legem sibi aliisque relaxant, et carnis licentiae, non libertati Evangelicae, patrocinantur. Hi carnem [q] cum vitiis et concupiscentiis nolunt crucifigi, ac proinde, quae sunt [r] spiritus, non sapiunt: sed spiritum potius [s] extinguunt, adversus doctrinam Apostoli-

f August. epist. 118. ad Januar. cap. 2.
g Rom. 13, 1-5.
h Aug. epist. 86. Epipha. in comp. doct. Calixt. ep. 1. ad Bened. Leo ser. 1. et 2. de Pentec. Item ser. 8. et 9. de jejunio 7. mensis et ser. 8. de Jejunio 10. mensis. Raban. lib. 2. de instit. Cler. c. 24. Conc. Mogunt. c. 34. Saleg. c. 2. Bern. in vigil. Andreae.
i Ignat. ad Phil. Epipha. in comp. doct. Teoph. Alex. lib. 3. Paschal. Maximus in sermone de quadr. Item Ambr. Aug. Leo et Bern. de eadem. Cyril. l. 10. in Lev. Isid. 1. off. eccl. c. 36. Aug. ep. 119. c. 15. et in Psal. 110.
k Can. 68.
l Laod. can. 50. 2. Brac. ca. 9. 4. Carth. c. 63. Trib. c. 35. Agath. c. 12.
m Can. 19. Item Mogunt. can. 35.
n 8. Tolet. c. 9. Vide Tel. in ep. ad univ. Theoph. Alex. l. 3. Pasch. Aug. serm. 64. de tem. Niceph. l. 17. c. 32. Chrys. hom. 6. ad pop. ser. 1. et 2. in Genes.
o Bas. hom. 2. de jej. Aug. serm. 64. de temp. Ambr. serm. 23. 25. 34. 36. et 37.
p Hieron. epist. 54. contra Montan. ad Marcellam.
q Galat. 5, 24.
r 1. Cor. 2, 14.
s 1. Thess. 5, 19.

Max. in Litaniis.

Digitized by Google

cam. Deinde palam obsistunt Ecclesiae matri, immo etiam [t] Christo in Ecclesia sponsa [u] loquenti atque praecipienti: unde sibi certam [x] damnationem acquirunt, quando sanctum et salutiferum, et ab Ecclesia nobis usque commendatum jejuniorum institutum, abrogant repudiantve.

VI.

Quid de Jejunio sacra scriptura tradit?

Divina vox est, quae per Joëlem ad peccatores clamat: [a] *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu, et planctu.* Nec multo post: [b] *Canite tuba in Sion*, inquit, *sanctificate jejunium, vocate coetum, congregate populum;* vel sicut alii legunt, Sanctificate jejunium, praedicate curationem. Ut hinc discamus, Jejunium sanctificari caeteris bonis operibus, et sanctificatum curationi [c] proficere peccatorum, ut Hieronymus [d] interpretatur. Nam ut idem [e] e sacris litteris colligit, per jejunia Daniel [f] vir desideriorum futura cognovit: et Ninivitae [g] iram placaverunt Dei: et [h] Elias ac [i] Moses quadraginta dierum esurie, Dei familiaritate saturati sunt: et ipse [k] Dominus totidem diebus in solitudine jejunavit, ut nobis sollennes jejuniorum dies relinqueret: et acriora daemonia docuit [l] non nisi oratione et jejuniis posse superari: et Apostolus frequenter [m] se jejunasse dicit: et in Psalmis poenitens loquitur: [n] *Mandu-*

t Aug. in epist. 80. ad Casulan.
u Lucae 10, 16. Matth. 18, 17. 1. Cor. 14, 37. 1. Thess. 2, 13. Act. 15, 28. 29. Hiere. 35, 1-19. 2. Mach. 6, 18-28. 7, 1-5.
x Rom. 13, 1-5. Lev. 23, 27-30. 1. Reg. 14, 24-45. 3. Reg. 13, 15-28. Conc. Trid. sess. ultim. Aug. tract. 73. in Joan. Amb. ser. 25. et 36. Chrys. hom. 12. in 1. ad Tim. Rab. l. 2. de inst. Cler. c. 25.
Judic. 20, 24-28. 1. Reg. 7, 5-13. 31, 11-13. 2. Reg. 1, 11. 12. 3, 31-35. 15-17. 21-23. 3. Reg. 21, 18-29. 1. Paral. 10, 10-12. 2. Paral. 20, 1-6. 1. Esdrae 8, 21-23. 2. Esdrae 1, 1-5.
a Joël. 2, 12. et 1, 14.
b Ibid. Greg. hom. 16. in Evang. Maxim. hom. 1. de jejunio Quadrages.
c Aug. serm. 60. 62. 69. 230. de temp. Bern. ser. 4. de Quadrag. Hieron. in c. 6. Daniel.
d Lib. 2. advers. Jovinian.
e Ibid. Vide et Aug. serm. 65. de temp. et Chrys. in hom. de Jona.
f Dan. 9, 3. 4. 21-24. 10, 2-4. 10-14.
g Jonae 3, 3-10.
h 3. Reg. 19, 5-8.
i Exod. 24, 15-18. 34, 27. 28. Deut. 9, 8-19.
k Matth. 4, 2. et Luc. 4, 1. 2.
l Matth. 17, 19-21. Marc. 9, 28. 29. m 2. Cor. 11, 25-27. n Ps. 101, 10.

Digitized by Google

cabam sicut cinerem panem meum, et potum meum cum fletu miscebam. Et: [o] *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Demum quid eo manifestius, quam quod Christus affirmat [p] fore, ut cum ipse sponsus, discipulis suis maxime dilectus, ablatus sit, tunc illos licet Spiritu [q] sancto plenos, jejunaturos esse? Itaque Paulus fideles omnes hortatur: [r] *Exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* [s] *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

VII.

Quid est Oratio?

Est plus nostrae mentis in Deum affectus, quo [a] petuntur fideliter, quaecumque sunt nobis aut aliis salutaria: quo divinam quoque gratiam et virtutem celebramus, aut qualicumque ratione coram summa et aeterna illa Majestate nos [b] devotos testamur. Ut huc spectet non solum precatio, sed etiam [c] adoratio, [d] oblatio seu sacrificium, [e] invocatio, [f] laudatio, [g] gratiarum actio.

[h] Modum autem praedicandi et formulam singularem Christus [i] praescripsit, sicut supra declaravimus. Et nullum est sane opus magis in scriptura [k] commendatum, nullum piis sanctisque hominibus familiarius: nullum quod a pluribus et saepius, et diligentius, magisque necessario in hac vita

o Psalm. 34, 13.
p Luc. 5, 34. 35. Marc. 2, 19. 20. Matth. 9, 15. et ibid. Hieron.
q Act. 13, 1-4. 14, 20-23.
r 2. Cor. 6, 4. Lucae 2, 36. 37. Matth. 6. 16-18. Tob. 3, 7-12. Judith. 6, 6-14. 8, 1. 4-6. Esth. 4, 1-17. 14, 1-3. Hierem. 36, 8-10. Baruch. 1, 3-5. 1. Mach. 3, 44-53. 2. Mach. 13, 9-16.
s Galat. 5, 24.

a Dam. l. 3. orthod. fidei, ca. 24. Aug. l. 2. de ser. Dom. in monte. c. 3. et ser. 230. de temp. Bas. in Julittam. mart. Chrys. hom. 30. in Gen. Nyss. in libro de Oratione.
b Exod. 35, 20. 21. 29. 2. Paralip. 29, 31.
c Matth. 4, 10.
d Malach. 1, 11. Esaiae 56, 7. Joan. 4, 19-24.
e Rom. 10, 12. 13.
f Psalm. 17, 4. 145, 2.
g Esai. 56, 7, 1. Tim. 2, 1. 2. Aug. epist. 59. ad Paulinum.
h Aug. tract. 73. in Evang. Joan. Bas. c. 2. constit. monast. Bern. serm. 4. et 5. in Quadrages. et in serm. de quatuor modis orandi.
i Matth. 6, 6-13. Lucae 11, 1-4. Vide supra de oratione Dominica.
k Ps. 140, 2. Tob. 12, 12. Act. 10, 1-4. Ex. 32, 9-11. 14. Ps. 105, 23. Hier. 7, 16. 27, 18. et ibidem Hier. Item ep. 12. ad Gaudentium.

Digitized by Google

sit exercendum, atque precatio. Vere dictum illud: [l] *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Item: [m] *Oportet semper orare*, ardenti scilicet cordis affectu, et citra hypocrisim, et absque laudis [n] humanae respectu, hoc est, in [o] spiritu et veritate.

Interim orantes, [p] externum corporis gestum et habitum, ritusque nonnullos adhibent saepe; et recte quidem, ut exempla scripturae commonstrant: nam et Christus Dominus, nunc [q] sublevatis in caelum oculis, [r] nunc elata voce, nunc in terram [s] prostratus Patrem oravit. Tum [t] Danielis ac [u] Ninivitarum precatio, quia non sine jejuniis, sacco et cinere instituta fuit, magis commendatur. Nec frustra de Publicano [x] dictum est, quod humili facie, depressis oculis, pectorisque tunsione suam in templo precationem instruxit. Quae quidem licet externa videantur, et ab impiis etiam fieri ac ostentari queant, tamen hactenus laudem illa merentur, quatenus et pie corpus exercent, rediguntque in obsequium creatoris, et animum excitant, fulciunt ac promovent in cultu interiore. Praeterea sunt haec testimonia quaedam fidei, humilitatis atque pietatis non negligenda, ut quae non solum spectanti proximo, sed etiam Ecclesiae adferunt aedificationem.

l Eccli. 35, 21. Ps. 101, 18. 36, 4. 5. Judith. 9, 16. 17.

m Lucae 18. 1. Eccli. 18, 22. 1. Thess. 5, 17. 18.

n Matth. 6, 1-6.

o Joan. 4, 19-24.

p Tertul. in apologetico advers. gent. c. 30. Aug. in l. de cura pro mort. gerenda, c. 5. Hier. advers. Lucifer., et in vita Pauli Eremit. Item de viris illust. in Jac.

q Joan. 17, 1. 11, 41.

r Matth. 27, 46. Luc. 23, 46.

s Matth. 26, 39. Marc. 14, 35. Lucae 22, 41.

t Daniel. 9, 3,

u Joan. 3, 5-8. Judith. 4, 8-17. 9, 1. 2. 1. Mach. 3, 46. 47.

x Lucae 18, 13. Exod. 9, 28. 33. 17, 10-13. Deut. 9, 18. 25. 26. Num. 20, 6. Psal. 87, 10. 140, 2. 2. Para. 6, 12. 29. 20. 29. 3. Reg. 8, 54. Daniel. 6, 10. 1. Esdr. 9, 5. Matth. 2. 11. Act. 7, 58. 59. 9, 40. 20, 36. 21, 5. Ephes 3, 13. 1. Cor. 11, 4. 5. Dam. l. 4. orthod. fidei c. 13. De cert. orandi tempor. vid. Aug. haer. 57. Bed. in c. 18. Luc. Anselm. in c. 5. ep. 1. ad Thess. Clem. const. Apost. l. 8. c. 40. Tert. in apolog. c. 2. Cypr. de orat. Dom. Athan. de virgin. Bas. serm. 1. de instit. Monach. etc. 37. in regul. long. Chrys. hom. 59. ad popul. Hieron. in c. 6. Daniel. et ad Eustoch. Conc. Aquisgr. c. 126. et seq. Ps. 118, 53. 62. 164. 5, 4. 54, 18. Dan. 6, 10. Act. 3, 1. 10, 9. 16, 27.

Digitized by Google

VIII.

Cur in orando seduli et assidui esse debemus?

Primum ob maximas et infinitas eorum, qui rite precantur, utilitates. Deinde quod Oratio proprium et necessarium sit fidei exercitium. Habet praeterea praeceptum in divinis [a] litteris passim, neque modo frequentem, sed etiam eximiam plenamque consolationis et suavitatis promissionem. [b] *Dico vobis*, inquit ipsa Veritas Christus, *Omnia, quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Et rursum: [c] *Ego dico vobis, Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur.* Atque iterum: [d] *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se?* Talibus quidem dictis, ut recte colligit Chrysostomus, [e] ac tali spe provocavit nos ad orandum universorum Dominus. Nos vero decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei, precibusque transigere, majore studio curam agentes divini cultus, quam vitae nostrae. Sic enim contigerit semper vivere vitam homine dignam. Haec ille.

IX.

Quibus exemplis vim Orationis et fructum colligemus?

Jacobus Apostolus, ut orationis virtutem explicaret exemplo, ita scripsit:

Isid. de summo bono lib. 3. c. 7. Aug. ser. 226. et 230. de temp. et epist. 121. Item ser. 5. de ver. Dom. Cypr. de orat. Dom. Amb. l. 3. de virg. et serm. 93. de Nazar. et Cels.

a Matth. 26, 41. Marc. 13, 33. Luc. 18, 1-8. 11, 5-13. 21, 36. Eccli. 18, 22. 21, 1. Roman. 12, 12. Philip. 4, 6. Col. 4, 2. 1. Pet. 4, 7. 1. Thess. 5, 17. 18. Eph. 6, 16. 1. Tim. 5, 5. Hebr. 4, 16. Jac. 1, 5. 4, 2. 5, 16-18.

b Marc. 11, 24. Matth. 21, 22. 8, 19. 32.

c Lucae 11, 9. 10. Matth. 7, 7. 8. Joh. 14, 13. 15, 7. 16, 23. 24. 1. Joh. 3, 21-23. 5, 14. Ps. 49, 14. 15. 144, 18. 19. Prov. 15, 29. Paral. 7, 11-16. Eccli. 2, 11. 3, 4. 38, 9. Lev. 4, 26. 31. 35. 5, 10. 6, 7.

d Matth. 7, 11. Lucae 11, 9. 10.

e L. 1. de orando Deum. Vide etiam l. 2. Item hom. 5. de incomp. Dei natura, et ad popul. Ant. hom. 71. et 79. Greg. hom. 27. in Evang. et in Psalm. 6. Poenitentialem.

Digitized by Google

[a] *Elias homo erat similis nobis, passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.* Pluribus exemplis Augustinus [b] rem eandem comprobat: Orante [c] Mose et Samuele [d] vincuntur a Judaeis hostes Amalechitae atque Philisthaei. Orans Hieremias [e] confortatur in carcere. Orans [f] Daniel inter leones exultat. Orantes [g] tres pueri in fornace tripudiant. Orans [h] de cruce Latro invenit paradisum. Susanna [i] per orationem inter senes falso accusantes defenditur. [k] Stephanus orans in coelum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur.

Quibus [l] exemplis non modo fructus Orationis ostenditur, sed etiam precandi studium ac sedulitas nobis commendatur. Quare Scriptura quoque apostolica cohortatur: [m] *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Et rursus: [n] *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* Item: *Haec* [o] *est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Praeterea: [p] *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita.*

a Jac. 5, 17. 3. Reg. 17, 1. 22. et 18, 36-38. 41-45. Lucae 4, 25. Eccli. 48, 1-4.

b Aug. ser. 22. ad fratres in eremo.
c Exod. 17, 8-14. Judith. 4, 11-17.
d 1. Reg. 7, 5-13.
e Hierem. 32, 2-38.
f Daniel. 6, 10. 11. 21-23.
g Daniel. 3, 23-26. 49. seq.
h Lucae 23, 42-43.
i Daniel. 13, 41-44.
k Act. 7, 55-59. Hieron. contra Vigilantium. Aug. serm. 1. et 4. de Sanctis.
Genes. 25, 21. Exod. 8, 12. 13. 30. 31. 9, 33. 10, 18. 19. 14, 15-22. 32, 9—14. 30—35. Num. 11, 1. 2. 12, 13-15. 14, 11-21. 16, 15. 31-33. 45-48. 21, 6-8. 1. Reg. 1, 10. 11. 15-18. 12, 17. 18. 4. Reg. 19, 14. 15. 35. 20, 1-6. 2. Paral. 20, 1-23. 33, 9-13. 1. Esdrae. 8, 23. Tob. 3, 1-25. Judith. 9, 12. 16. 17. 13, 6-10. Psalm. 17, 7. 119, 1. Jonae. 2, 2—11. 1. Mach. 3, 38-47. 4, 6-15. Act. 12, 5-7.
m 1. Thess. 5, 17. 18.
n Jac. 5, 16.
o 1. Joan. 5, 14.
p 1. Joan. 5, 16.

Digitized by Google

DE ELEEMOSYNA ET OPERIBUS MISERICORDIAE.

X.

Quid est Eleëmosyna?

Est beneficium seu munus, quo alterius miseriae ex nostro commiserationis affectu subvenitur. Quo spectat id, quod apud Tobiam Raphaël Angelus testatur: [a] *Bona est Oratio cum Jejunio et Eleëmosyna*, ut intelligamus, sicut [b] Cyprianus admonet, orationes nostras ac jejunia minus posse, nisi eleëmosynis adjuventur. Bona misericordia, inquit [c] Ambrosius, quae et ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quam misericordia. Sic ille: [d] *Estote ergo misericordes sicut et pater vester misericors est, ut sitis filii patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Ita Christus Salvator et [e] Samaritanus noster, omni gratia et misericordia plenus, qui [f] pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a Diabolo.

Vide Chrys. hom. 13. in 2. Cor. et Aug. serm. 30. de verbis Domini.

a Tob. 12, 9.

b De opere et eleëm. Item Pet. Chrysol. ser. 43. Leo. ser. 13. de Jejunio, Pentecost. Oseae 6, 6. Matth. 9, 12. 13. 12, 7. Prov. 21, 3. Phil. 4, 18. Heb. 13, 16.

c Lib. Offic. c. 11. Chrys. ser. 36. ad pop. Antioch. Aug. ser. 76. de temp. et hom. 39. ex 50. Leo ser. 5. et 10. de Quadrag. Greg. Nyss. de beatitud.

d Lucae 6, 27-38. Ps. 32, 5. 118, 64. 144, 8. 9. 14. 15.

e Lucae 10, 33. sq.

f Actor 10, 37. 38.

XI.

Quo pacto nobis Scriptura commendat Eleëmosynam?

Multis [a] quidem et apertis praeceptis, promissionibus et exemplis. Quin [b] Cyprianus docet in Evangelio nihil praecipi frequentius, quam ut insistamus eleëmosynis dandis: nec terrenis

a Deut. 15, 7. 8. 2. Esdrae 8, 8-10. Tob. 4. 7-12. Psal. 40, 2-4. Prov. 11, 17. 18. 24. 26. 14, 21. 22. 31. 19, 17. 22, 9. 25, 21. 28, 27. Eccli. 4, 1-11. 36. 7, 10. 36-38. 12, 1-6. 17, 18. 29, 15. Ezech. 18, 5. 7-9. 16. 17. Matth. 25, 34. 46. Lucae 14, 12-14.

b De opere et eleëm. Vide etiam Aug. ser. 50. et 227. de temp. Item hom. 18. 19. 29. et 47. ex 50. Nazianus de pav. amore. Chrysost. hom. 32. ad Populum, et sequentibus.

Digitized by Google

possessionibus incumbamus, sed coelestes thesauros potius recondamus. Hinc illae Christi sententiae: [c] *Quod superest, date eleëmosynam: et ecce* [d] *omnia munda sunt vobis.* [e] *Vendite, quae possidetis, et date eleëmosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis.* Atque alibi: [f] *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Breviter: [g] *Date, et dabitur vobis.* Proinde Daniel Propheta impio Regi consulit: [h] *Peccata tua eleëmosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Tum alibi legitur: [i] *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleëmosyna resistit peccatis.* Neque hominis vero, sed Angeli vox ea fuit: [k] *Eleëmosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* Quin et Christus ipse pronuntiat: [l] *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* [m] *Beati* igitur *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* E contrario autem, ut Jacobus affirmat: [n] *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

c Lucae 11, 41. Hier. ad Hedib. quaest. 1.
d Aug. in Ench. c. 75. et 76. et ser. 30. de verb. Dom.
e Luc. 12, 33. 3, 10. 11. Matth. 6, 1-4. 20. 19, 21. 29. Mar. 10, 21. 29. 1. Tim. 6, 17-19.
f Lucae 16, 9. Aug. serm. 25. et 35. de verbis Domini.
g Lucae 6, 38. 2. Cor. 8, 10. 11. 9, 5-11. 1. Tim. 4, 7. Rom. 12, 13. 20. Jac. 1, 27.
h Dan. 4, 24. Prov. 13, 8. Amb. ser. 30. et 31. Item de Helia et jejunio c. 20. Leo in sermon. de collect. Chrys. hom. 25. in Act. Apost.
i Eccli. 3, 33. Ambr. ser. 15. Chrys. hom. 34. in Gen. Prosper parte 2. de promiss. et praedict. cap. 7.
k Tob. 12, 9. 4, 7-12. Esai. 1, 16. 17. Prov. 15, 27, 16, 6. 10, 12. 1. Petr. 4, 8. Jac. 5, 19. 20.
l Matth. 10, 42. Greg. hom. 5. in Evang. Amb. in lib. de Viduis. Leo ser. 4. et 6. de quadr. et ser. 6. de jejunio 10. mens.
m Matth. 5, 7.
n Jac. 2, 13. prov. 21, 13.

XII.

Quibus exemplis Eleëmosynae virtus et fructus declaratur?

In sacris quidem litteris Abraham [a] et Lot propter hospitalitatem et Deo

a Gen. 18. 1-6. 19, 1-3. sq.

Digitized by Google

placuisse, et Angelos [b] hospitio excepisse dicuntur. [c] Tobiae et [d] Centurionis eleëmosynae tantum valuerunt, ut in memoriam ascenderint in conspectu Dei, et non solum testes, sed etiam collaudatores habuerint sanctos Angelos. Zachaeus, Christi verbis permotus, et ex principe Publicanorum speculum misericordiae factus, dimidium bonorum dat pauperibus, et mox Abrahae filius a Christo ipso [e] pronuntiatur. Tabitha, [f] ut plena operibus bonis et eleëmosynis, quas viduis praesertim faciebat, a Luca celebratur. Sic piae matronae laudem habent in [g] Evangelio singularem, quae cum Magdalena et Martha Christo Domino ejusque pauperibus discipulis liberaliter de suis facultatibus inserviebant. Et de Laurentio [h] Levita et Martyre justissime canitur: [i] *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi.*

b Hebr. 13, 1. 2.
c Tob. 12, 12. 1, 19. 12.
d Act. 10, 4. Exempla Joan. Eleëmosynarii, et aliorum, vide apud Leontium in ejus vita: Martini apud Sulpicium: Paulae apud Hiero. Paulini apud Turonens. de glor. Confess. c. 107. et apud Greg. 3. dial. c. 1. Tiberii apud Turon. l. 5. hist. Franc. c. 19. Bened. apud Gregor. 2. dial. c. 28. et 29. Martyrii apud eundem ho. 39. in evang. Greg. apud Joan. diacon. l. 1. vitae ejus, c. 10. et lib. 2. c. 22. et 13. Osuald. apud Bedam histor. Angl. l. 3. c. 6.
e Lucae 19, 1-10.
f Act. 9, 36-41. Vide etiam Pratum Spirituale Sophronii cap. 175. 185. 195. et 201.
g Lucae 8, 1-13. 10, 38-40. Joan. 12, 1. 2. 3. Reg. 17, 8-24. 4. Reg. 4, 8-36.
h Amb. l. 2. off. c. 28.
i Ps. 111, 9. Chrys. hom. 55. in Genes.

XIII.

Quid est Misericordia?

Est, sicut [a] Augustinus affirmat, alienae miseriae quaedam in nostro corde compassio, qua utique si possimus, subvenire compellimur. Quod misericordiae nomen pro eleëmosyna dici et accipi persaepe solet. *Omnis autem misericordia*, teste divina [b] Scriptura, *faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Hanc saepe et mirifice commendat [c] Chrysostomus, nec

a Lib. 9. de Civit. Dei, c. 5. Isidor. de sum. bon. l. 3. c. 64. Greg. Nyss. in l. de beat.
b Eccl. 16, 15.
c Hom. 23. in epist. ad Hebr. hom. 9. de poenit. 53. in Matt. et 36. ad pop. Ant.

Digitized by Google

dubitat alicubi dicere: [d] Misericordia est salutis praesidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: haec est, quae justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. Quin etiam, si Ambrosio [e] credimus, omnis summa disciplinae Christianae in misericordia et pietate est.

d Chrys. hom. de misericordia, et duabus viduis.

e In epist. 1. ad Tim. c. 4. Vide eundem in cap. 3. Lucae.

XIV.

Suntne unius generis misericordiae opera?

Duplicis ea generis esse [a] inveniuntur: cum alia sint corporalia, alia spiritualia. Corporalia quidem dicta, quoniam ad corporalem miseriam proximi sublevandam exercentur: spiritualia vero, quod in his saluti proximi spirituali bene consulamus atque operam demus. Hujus multiplicis misericordiae clarum praebet exemplum Job benignissimus, qui de seipso testatur: [b] *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* [c] *Oculus fui caeco, et pes claudo: pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam praedam.* Item, [d] *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

a Aug. l. de morib. Eccles. Catholic. c. 27. et 28. Item in enchir. ca. 72. et serm. 203. de temp.

b Job. 31, 18. et ibidem Gregor.

c Job. 29, 15-17.

d Job. 31, 32.

XV.

Quot sunt opera misericordiae tum corporalia, tum spiritualia?

Septem in utroque genere numerantur. Ac primum quidem corporalia haec sunt: [a] Esurientes pascere,

a Matth. 25, 34-40.

Digitized by Google

potum dare sitientibus, operire nudos, captivos redimere, aegrotos invisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos [b] sepelire.

Spiritualia vero haec: [c] Peccantes corrigere, [d] ignorantes docere, [e] dubitantibus recte consulere, [f] pro salute proximi Deum orare, [g] consolari maestos, [h] ferre patienter injurias, offensam [i] remittere. Quae humanae pietatis officia, hominibus praesertim Christianis, nec barbaris plane, tam aperta sunt, ut longa tractatione neutiquam egeant.

b Tob. 1, 19. 20. 2, 1-9. 12, 12. 2. Reg. 2, 4-6. Aug. l. 1. de civit. Dei, c. 13. et de cura pro mortuis cap. 3.

c Matth. 18, 15. 1. Tim. 5, 20.

d Eccli. 18, 13. 2. Timoth. 4, 2. Esa. 52, 7. Hierem. 15, 19. Daniel. 12, 2. Jac. 5, 19. 20. Galat. 6, 1. Chrys. hom. 3. et 10. in Gen. Clem. Alex. 1. stromatum. Bern. ser. 36. in Cant. Greg. hom. 17. in evang.

e Prov. 27, 9. Eccli. 5, 14.

f Matth. 5, 44. 45. Jac. 5, 16.

g Eccli. 7, 38. 2. Cor. 1, 3.

h Tit. 3, 1. 1. Thess. 5, 14. Rom. 15, 1.

i Matth. 5, 23. 24. 6, 14. 18. 35. Mar. 11, 25. Eccli. 28, 1-5.

XVI.

Quomodo isthaec Scripturis ostenduntur?

Pulchre quidem ac passim, sicut in primis illa Esaiae verba, aut potius Dei praecepta commonstrant, [a] *Frange*, inquit, *esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Quorum officiorum ingens quoque fructus ibidem subjicitur: [b] *Tunc anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te.* Et Joannes, qui in charitate et misericordia fraterna nobis commendanda totus est, inter caetera docet: [c] *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Neque contentus hoc dicto, praeclare concludit: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque*

a Esaiae 58, 7.

b Ibidem 8.

c 1. Joan. 3, 17. Jac. 2, 13. 17. Basil. hom. 7. in divites avaros. Ambr. ser. 81. et apud Grat. dist. 86. Idem l. 3. Offic. c. 6. et 7. Greg. 3. p. curae past. ad mon. 22. Item Greg. Turon. in gloria Confess. cap. 108.

Digitized by Google

lingua, ſed opere et veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate ſumus.

Haec sunt fidelium, vereque justorum opera, quae in [d] extremo illo judicio Christus agnoscet et palam approbabit: propter quae regnum promissum decernet, justitiaeque coronam reddet misericordibus, quos et ipse justos praedicat.

d Matth. 25, 34-40. Lucae 14, 12-14.

Quae quidem [e] opera tanto plus verae laudis aeternique praemii porrigunt, quanto fiunt ab animo Christiano sincerius, alacrius, liberalius, nimirum ut in illis humanae vanitati atque cupiditati quam minimum loci relinquatur; ea vero ad Dei gloriam proximique, cui serviunt, commodum proprie referantur. Hinc illae scripturae voces observandae: [f] *Qui tribuit in ſimplicitate: qui miſeretur in hilaritate.* [g] *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Quomodo potueris, ita eſto miſericors.* [h] *Hilarem datorem diligit Deus.* [i] *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* [k] *Jucundus homo, qui miſeretur et commodat.* Certe [l] Christus apud Lucam talem depingit Samaritanum, qui praeclarum exemplum praebeat summae humanitatis perfectaeque misericordiae, ignotis etiam [m] et immerentibus ultro praestandae. [n] *Qui vero parce ſeminat, parce et metet,* Apostolo teste. Satis autem hactenus de corporalibus praecipue operibus misericordiae.

e Greg. curae past. parte 3. admonit. 21. Ambr. l. 1. off. c. 30. et l. 2. c. 21. et 25. Chrysost. hom. de misericordia et duab. viduis. Item hom. 30. in epist. ad Corinth.

f Rom. 12, 8.

g Tob. 4, 7. 8.

h 2. Cor. 9, 7.

i Eccli. 35, 11.

k Psalm. 111, 5.

l Lucae 10, 33-35.

m Naz. in orat. de funere patris. Chrys. hom. 21. in epist. ad Rom. Item hom. 35. et 37. ad popul. Antioch.

n 2. Cor. 9, 6.

Digitized by Google

XVII.

De spiritualibus quid porro Scriptura testatur?

Debemus, [a] inquit, *nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit.* Ac rursus: [b] *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Item, [c] *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi: et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.* Praeterea: [d] *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et* [e] *donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut Dominus donavit vobis, ita et vos.* Iterum vero: [f] *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.*

a Rom. 15, 1-3.
b Ephes. 4, 32.
c Ephes. 5, 1, 2.
d Coloss. 3, 12. 13.
e Aug. in Enchir. c. 73. et 74. hom. 6. 29 et 40. ex quinquag. et ser. 203. de temp. Greg. 4. dialog. cap. ult.
f 1. Thess. 5, 14.

Haec aliaque id genus permulta passim inculcat Paulus: qui, ut [g] omnes faceret salvos, omnibus omnia factus est, ut hinc ipse testetur: [h] *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Et iterum: [i] *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Tum alibi: [k] *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse*

g 1. Cor. 9, 22.
h 2. Cor. 11, 29.
i Rom. 9, 2. 3.
k 2. Cor. 12, 15.

Digitized by Google

pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.

XVIII.

Quae summa est doctrinae omnis de misericordiae operibus praestandis?

Apostolus rem omnem hoc quasi unico verbo complexus est: [a] *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, puta legem charitatis. De qua lege rursus idem: [b] *Si quod est mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et Petrus Apostolus: [c] *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Quod charitatis misericordiaeque praestandae praeceptum ac officium, ut est naturae ac rationi maxime consentaneum; sic ad omnes etiam se porrigit, ut hinc scriptum legamus: [d] *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Ita vero mandavit, veluti Christus interpretatur. [e] *Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis. Haec est enim lex et Prophetae.*

a Galat. 6, 2.

b Rom. 13, 9. Galat. 5, 14.

c 1. Petri 4, 8.

d Eccli. 17, 12.

e Matth. 7, 12. Lucae 6, 31.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

I.

Quid sibi vult nomen et ratio Cardinalium virtutum?

Cardinales quaedam virtutes idcirco [a] dicuntur, quod sint tanquam alia-

a Vide Ambr. in c. 6. Lucae, et l. 1. Off. c. 24. et sequent. Item Prosp. de vita contemplativa. l. 3. cap. 18.

Digitized by Google

rum fontes et cardines: et quemadmodum ostium in cardine, sic omnis honestae vitae ratio in illis versetur, ac boni operis universa structura [b] eisdem inniti quodammodo videatur. Ejusmodi vero [c] quatuor numerantur: Prudentia, Justitia, Temperantia et Fortitudo, de quibus ita scriptum extat: [d] *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem: quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi per sobrietatem [e] temperantia, per virtutem fortitudo haud obscure designatur, omnesque illae nobis ita commendantur, ut ab aeterna [f] Sapientia, qui Deus est, eas proprie conferri, et ingenti cum fructu humanae salutis accipi atque exerceri, certo intelligamus. Quae virtutes etiam Officiales dictae sunt, quoniam ab iis, ut [g] Ambrosius annotavit, nascuntur officiorum genera, cunctaque communis vitae officia secundum suam cujusque vocationem derivantur.

b Greg. lib. 1. Moral. in Job cap. 36.

c Ambr. lib. 3. de virginib. et lib. 2. Off. cap. 9.

d Sapient. 8, 7.

e Aug. lib. 5. retract. c. 7.

f Prov. 8, 12. 23. sq. Eccli. 24, 5-7. 9. 14. 24. 25.

g Lib. 1. off. cap. 25.

II.

Quomodo Cardinales virtutes definiuntur?

Prudentia est virtus, quae secundum honesti rationem quid expetendum, quidve fugiendum sit, homini praescribit. Justitia est virtus, qua cuique sua tribuuntur. Temperantia est virtus, voluptatum carnis, quae gustu atque tactu percipiuntur, moderatrix. Fortitudo est virtus, qua labores mortisque pericula constanter et suscipiuntur et perferuntur.

Definit easdem Aug. lib. 1. de libero arb. ca. 13. et lib. de moribus eccle. Cathol. cap. 15. De his in libris officiorum disserit Ambrosius. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 18. et seq. Bern. ex parvis sermon. 35. et in cantica ser. 22.

Digitized by Google

Haec est nobilis quadriga virtutum, qua in caelum vehimur: haec [a] flumina quatuor paradisi, ut [b] Augustinus vocat, cujus et hoc dictum extat memorabile: Illa est, inquit, [c] humanarum rerum scientia, quae novit lumen prudentiae, temperantiae decus, fortitudinis robur, justitiae sanctitatem. Haec enim sunt, quae nullam fortunam metuentes, vere nostra dicere audemus.

a Gen. 2, 10-14.
b Lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 10. Item Ambr. in lib. de paradiso cap. 3.
c Lib. 1. contra Academicos. cap. 7.

III.

Quo pacto prudentia nobis sacris litteris commendatur?

Prudenter monet Ecclesiasticus in hunc modum: [a] *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis.* Item: [b] *Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiae successus habebit.* Tum fons [c] omnis sapientiae prudentiaeque Christus, verus ille [d] Salomon, ita docet: [e] *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae:* ut intelligamus, ad perfectam prudentiam utrumque conjunctim requiri, columbinam videlicet simplicitatem, quae innocentes mitesque facit, et serpentinam prudentiam, quae homines cautos ac providos reddit, ut nec fallant ipsi, neque ab ullo fallantur; id fiet, si Paulinae doctrinae nos accommodemus: [f] *Videte fratres*, inquit, *quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Prop-*

Basil. in constit. monast. c. 15. et ho. 12. in princ. Prov. Bern. ser. 49. in Cantica.
a Eccli. 32, 24. 37, 20. Prov. 12, 15. 13, 10.
b Eccli. 3, 32. 18. 27. 33, 2. Prov. 14, 16. Job. 28, 28. Deut. 4, 5. 6. 32, 28. Vid. Prov. 6, 13-17. 8, 11-19. Sap. 6, 1. 13-16. 22. 23. 26. 7, 9-12. 24. 25. 27. 28-30.
c Eccli. 1, 1-10.
d Matth. 12, 42. Lucae 11, 31.
e Matth. 10, 16. et ibidem Theophil. et Hieron. Item Aug. quaest. 8. ex Matth. Greg. 1. Moral. c. 2. et homil. 30. in Evang. Prosp. l. 3. de vita contempl. cap. 29. et 30.
f Ephes. 5, 15-17. Coloss. 4, 5. 1. Pet. 4, 8. Proverb. 4, 25. Ecclesiast. 2, 12-14.

Digitized by Google

terea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei, [g] *bona scilicet, et beneplacens, et perfecta.* Atque huc pertinet dictum Salomonis: [h] *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Et illud: [i] *In facie prudentis lucet sapientia.* Demum quod idem affirmat: [k] *Cor prudentis possidebit scientiam, et auris sapientum quaerit doctrinam.*

g Rom. 12, 2. 1. Thess. 4, 3.

h Prov. 13, 20. Eccli. 6, 33-37.

i Prov. 17, 24. Ecclesiast. 8, 1.

k Prov. 18, 25.

IV.

De Justitia quid porro Scriptura tradit?

Justitia [a] *elevat gentem,* [b] *Justitia firmatur solium. Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Cujus quidem justitiae officium nobis per Apostolum his verbis explicatur: [c] *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Huc spectant justi et beati viri partes, sic in Psalmo [d] decantatae: *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos: Qui jurat proximo suo et non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad* [e] *usuram, et munera super innocentem non accepit.* Ex quo facile constat, justitiae nomen contractius hic accipi, quam ubi generatim de Justitia Christiana disserimus.

a Prov. 14, 34. 15, 9. 21, 15-21. Eccli. 4, 33.

b Prov. 16, 8. 12. 25, 5. Aug. l. 4. de civit. Dei, ca. 4. et. l. 19. c. 21. Greg. l. 7. ep. 120. ad reges Franciae Theodoricum et Theobertum.

c Rom. 13, 7. Matth. 22, 22. 17, 24-27. Lucae 2, 1-5. 3, 12-14. 1. Tim. 5, 17. 18. Bern. serm. 3. de adventu Dom. Aug. ser. 19. de verb. Dom. et l. 22. contra Faust. c. 74. et 75. Theoph. in c. 13. ad Rom.

d Psal. 14, 3-5 Matth. 5, 6. Chrys. hom. 15. in Matth. Ambr. l. 1. Off. c. 28. et 29. et serm. 16. in Psalm. 118. et in libro de paradiso c. 3. Aug. l. 4. de doctrina Christiana c. 18. Vide septimum et octavum praeceptum decalogi. e Exod. 22, 25. Levit. 25, 35-38. Deut. 23, 19. 20. Ezech. 18, 5-8. 10. 14. 17. 22. 9-15. Lucae 6, 35. Leo serm. 6. de jejunio decimi mens. Bernardus epist. 322. ad Spirenses. Ambrosius de Tobia cap. 14. et 15. Hieronymus in 18. cap. Ezechielis. Concil. Lateranense sub. Alexandro 3. parte 1. capite 25.

Digitized by Google

V.

Quomodo Temperantiam Scriptura docet?

Ad vitandam intemperantiam, hoc Scriptura nobis injungit, [a] ne carnis curam in desideriis faciamus, [b] neve per gulam corda nostra in crapula et ebrietate aliquando gravemus. Caeterum ad exercitandam temperantiam hortatur, ubi [c] vult, nos esse sobrios, et vigilare, hoc est, sacris vigiliis et orationibus aptos esse, ut nullum Satanae locum [d] demus. Monet igitur et Ecclesiasticus: [e] *Utere quasi homo frugi his, quae tibi apponuntur, ut non, cum manducas multum, odio habearis.* Neque tacet idem de fugienda ebrietate: [f] *Vinum quippe multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit.* Quin etiam, ut idem ait: [g] *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Igitur de potu vini temperate sumendo hoc etiam addit: [h] *Exultatio animae et cordis, vinum moderate potatum; sanitas est animae, et corpori sobrius potus.* Quare alibi quoque scriptum legimus: [i] *Beata terra, cujus principes comedunt in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.* [k] *Qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Sed haec temperantiae virtus etiam [l] latius, quam ad moderatam cibi potusque sumptionem se porrigit. Joannes [m] Baptista, si quis unquam alius, temperantiae, abstinentiae, immo et continentiae omnis exemplum se nobis ab-

a Rom. 13, 14. 1. Petri 2, 11, Galat. 5, 16. 7. 1. Cor. 9, 25-27.
b Lucae 21, 34. Vide supra de Gula et de Jejunio.
c 1. Petri 5, 8. 9. 1. Thess. 5, 5-8. 1. Tim. 3, 2-11. 2. Tim. 4, 5. Tit. 1, 7. 2, 1-6, Levit. 10, 9-11.
d Ephes. 4, 27.
e Eccli. 31, 19.
f Ibidem 38.
g Eccli. 19, 2.
h Eccli. 31, 36. 37.
i Eccles. 10, 17.
k Eccles. 37, 34.
l Vide Prosp. l. 3. de vita contempl. c. 19. et Amb. l. 1. de Jacob. et vita beata cap. 2. Hieron. in cap. 44. Ezechiel.
m Matth. 3. 4. et 11, 8-18. 19. Marci 1, 6. Luc. 1, 15-17. 80. 7, 26. 33. 34. sq. Bern. in serm. de nativit. Joan. Bapt. et Greg. hom. 6. in Evang.

Digitized by Google

solutum praebuit, cum luxum omnem in victu habituque sibi praescidit, et summa frugalitate contentus, vitam in eremo traduxit.

VI.

De Fortitudine quid Scriptura monet?

Ad hanc colendam satis hortatur, eum [a] timorem improbum nobis adimit; et Christianae mentis fiduciam, alacritatem, constantiam atque magnanimitatem commendat: [b] *Fugit impius nemine persequente*, inquit Salomon, *justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Et Petrus de fidei ac pietatis hostibus hoc admonet: [c] *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini. Quis est*, inquit, [d] *qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam,* [e] *beati.* Paulus vero, cum esset ipse Christi miles [f] invictus, ad veram et Christianam fortitudinem alios saepe excitat: *Fratres*, inquit, [g] *mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Ac rursum: [h] *Fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, et resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.*

Fortis viri voces hae sunt propriae: [i] *In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi caro.* [k] *Dominus protector vi-*

a Matth. 10, 28. 8, 25. Luc. 12, 4. 5. Esai. 8, 11-13. 35, 3. 41, 8-10. 13. 14. 43, 1-5. 44, 2. 51, 7. 8. Hieremiae 10, 2. Eccli. 7, 9. 34, 16. Prov. 3, 25. Psal. 3, 7. 22, 4. 26, 1. 3. 55, 11. 117, 6. 7. Esaiae 12, 2. Heb. 12, 1-13.

b Prov. 18, 1. Job 15, 20-24. 6, 16. Prov. 29, 25. Eccli. 22, 20-23. Psalm. 13, 5. Joan. 12, 42. Apoc. 21, 7. 8. 2. Corinth. 1, 17-19. Matth. 11, 7. Galat. 3, 3. Prov. 15, 6. 27, 8. Eccli. 27, 12.

c 1. Petri 3, 14.

d Ibidem, 13. et 2, 19-21. 4, 14-16.

e Matth. 5, 10. Lucae 6, 22.

f 1. Cor. 4, 9-13. 2. Cor. 4, 8-11. 6, 1-10. 11, 23-28. 12, 9. 10. Act. 20, 22-24. 21, 23. 2. Tim. 4, 6-8. Rom. 8, 31-39.

g 1. Cor. 15, 58. 16, 13. 9, 24. Rom. 11, 22. Galat. 6, 9. 2. Thess. 3, 13. Tob. 2, 18. Eccle. 10, 4. Eccli. 4, 33. 5, 11. 11, 21. 2. Paral. 15, 1-7. Jac. 5, 7-11. Hebr. 10, 35. Matth. 10, 22. 24, 13. Bern. epist. 129. ad Janu.

h Ephes. 6, 10. 11. 13. Esaiae 40, 28-30. Prov. 14, 26. 2. Par. 16, 9. Jac. 4, 7. 1. Pet. 5, 8-10. Vide Prosp. l. 3. de vita contem. c. 20. et Amb. l. 1. off. c. 35. et sequent.

i Psalm. 55, 5.

k Psalm. 26, 1. 3.

Digitized by Google

tae meae, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. [l] *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* [m] *Quis nos separabit a charitate Christi?* [n] *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Hoc est, quod rex [o] fortissimus David ad omnes Dei filios suosque commilitones, veluti classicum canens, dixit: [p] *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* [q] *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Ea vero demum vita homine Christiano digna est, qua prudenter, juste, temperate fortiterque vivitur. Hinc aurea [r] mediocritas constat, ut ne quid nimis, et ne quid minus. Hoc est, quod Scriptura loquitur: [s] *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram*

l Psalm. 22, 4.

m Rom. 8, 35.

n Philip. 4, 13.

o 1. Reg. 17, 31-37. sq. 2. Reg. 14, 17. 16, 5-13. 17, 7. 8. 23, 8. 9. Psalm. 17, 30.

p Psalm. 30, 25.

q Psalm. 107. 14.

Hebr. 11. 32-38. Daniel. 3, 16-18. 1. Mach. 2, 19-22, 49-64. 2. Mach. 7, 1-3. 28-31. Act. 4, 13-20. 5, 27-41. Apoc. 2, 7-28. 3, 5. 11. 12. 21.

r Bern. lib. 2. de consideratione.

s Prov. 4, 27.

DE DONIS ET FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI.

I.

Quot sunt dona Spiritus sancti?

Ea septem apud Esaiam [a] Prophetam et ecclesiae Patres inveniuntur: Spiritus Sapientiae, Intellectus, Consilii, Fortitudinis, Scientiae, Pietatis, ac demum Spiritus timoris Domini.

Quae quidem dona, vel Spiritus in Christo Jesu Domino nostro [b] perfectius, quam in ullo alio, reperiun-

a Esaiae 11, 2. 3. et ibid. Hiero. Ambr. l. 1. de Spiritu san. c. 20. Aug. ser. 209. de temp. et 17. de sanct. Item l. 1. de ser. Dom. in monte c. 9. et l. 2. de doctr. Christ. c. 7. Greg. hom. 19. in Ezech. et l. 1. moral. c. 28. Bern. in serm. de donis Spir. sancti.

b Orig. hom. 3. in Esa. et hom. 6. in Numeros.

Digitized by Google

tur. Is enim plenus [c] est gratiae et veritatis; in illo inhabitat omnis plenitudo divinitatis [d] corporaliter. [e] De plenitudine ejus nos omnes accepimus, [f] qui et de Spiritu sancto suo dedit nobis: [g] *Si quis* autem *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, si Apostolo credimus.

c Joan. 1, 14.
d Coloss. 2, 9.
e Joan. 1, 16.
f 1. Joan. 4, 13.
g Rom. 8, 9.

II.

Quot sunt fructus Spiritus?

Ab eodem Apostolo [a] Paulo duodecim numerantur.

Primus est [b] Charitas, fructus quidem generosissimus, ac radix etiam bonorum omnium: sine [c] qua non possunt prodesse caetera bona, et quae ipsa non potest haberi sine caeteris bonis, quibus homo efficitur bonus, ut inquit [d] Augustinus.

Alter fructus est [e] Gaudium, hoc praestans, ut homo spiritualis alacriter laeteque serviat Deo.

Tertius [f] Pax, quae eo spectat, ut in hujus mundi procellis animi servetur tranquillitas.

Quartus [g] Patientia, quae in duris ferendis est sita.

Quintus [h] Longanimitas, quae magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat.

Sextus [i] Bonitas, quae nulli nocet, sed bene vult omnibus.

Septimus [k] Benignitas, invitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata.

a Galat. 5, 22, et ibidem Hier. Chrys. Theophilact. etc.
b Coloss. 3, 14. 1. Joan. 4, 16. Aug. tract. 87. in Evang. Joan. Hieron. in c. 5. ad Galat.
c 1. Cor. 13, 1-3. Aug. in ep. Joan. tract. 5.
d In Evangelio Joan. tract. 87.
e Philip. 4, 4.
f Lucae 2, 14. Philip. 4, 7. Psalm. 118, 165.
g Lucae 21, 19. Jacobi 1, 2-4.
h Abac. 2, 2-4. 2. Cor. 6, 4-6. Matth. 10, 22.
i Ephes. 5, 8.
k Coloss. 3, 12.

Digitized by Google

l Matt. 5, 4. 11, 29. Prov. 3, 34.

Octavus [l] Mansuetudo, quae omnes irae motus sedat et mitigat.

m 1. Tim. 3, 11. Prov. 12, 22.

Nonus [m] Fides in proximum, ut fideles, pactorumque ac promissorum observatores simus.

n Philip. 4, 5.

Decimus [n] Modestia, quae omnem fastus et arrogantiae suspicionem excludit.

o Eccli. 37, 34. Tobiae 1, 9. 10. 1. Thess. 5, 22.

Undecimus [o] Continentia, qua non solum ab escis, sed etiam ab omni nequitia abstinemus.

p Sap. 4, 1. 2. 1. Cor. 7, 34.

Duodecimus [p] Castitas, quae mentem castam in corpore casto conservat.

III.

Quomodo doctrina de donis et fructibus Spiritus rite utemur?

Ita videlicet, si gratis animis, unde illa nobis proveniant, agnoscamus, ac eorundem virtutem et usum in nobis efficacem sentiamus, exprimamus atque conservemus. Proveniunt certe ab omnis gratiae fonte Patre [a] illo luminum, qui nobis suam bonitatem et charitatem immensam in his commendat, dum per Christum in nos [b] tam abunde Spiritum suum effundit. [c] *Charitas* enim Dei, ut Apostolus testatur, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, secundum hanc gratiam scilicet septiformem, Christo nobis ita promerente. [d] *Qui credit in me*, inquit, *sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit*

a Jac. 1, 17.

b Tit. 3, 6.

c Rom. 5, 5.

d Joan. 7, 38. 39.

Digitized by Google

de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, ut ipse explicat Evangelista. Alioquin absque Christo, sicut Hieronymus [e] dixit, nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei.

[e] In cap. Esaiae 11.

Virtus autem, et usus horum donorum spiritualium eo spectat, ut virtutes Theologicae simul et Cardinales, quas diximus, suam in nobis vim et operationem legitimam expediant, et expedite perficiant. Efficiunt quoque, ut homines prorsus lubentes et habiles, ducem [f] Spiritum sanctum ubique sequantur, atque eodem incitati et confirmati, in via [g] mandatorum Dei indefesse procurrant, vereque spirituales et Dei filii efficiantur. [h] *Quicumque* enim *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, Apostolo teste.

[f] Psalm. 142, 10. 50, 12-14. Sapient. 1, 4-8.

[g] Psalm. 118, 32.

[h] Rom. 8, 14.

De his donis prolixum esset nunc agere singulatim; inde porro suavissimi fructus spiritus consequuntur, qui nos veluti frugiferas [i] arbores in Ecclesiae agro commendant atque ostendunt, secundum illud: [k] *Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui fructus etiam illud commodi afferunt, ut homo Christianus adversus carnis opera, velut spirituali quadam armatura, sit instructus et confirmatus. Nunquam enim fallet Canon Aposto-

[i] Psalm. 51, 10.

[k] Matth. 7, 17. Hieron. in cap. 5. ad Galat.

Digitized by Google

l Galat. 5, 16. licus: [l] *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Et alibi scriptum est: [m] *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

m Roman. 8, 13.

IV.

Quae sunt carnis opera?

Ea sunt, de quibus Apostolus ita disserit: [a] *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt: Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi; quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et subjungit: [b] *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Tum alibi: [c] *Qui in carne sunt*, ut secundum carnis videlicet desideria ambulent, Deo *placere non possunt.* Monet igitur idem Apostolus: [d] *Nolite errare: Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*

a Galat. 5, 19-21. Vide August. Lib. 14. de civit. Dei c. 2. et 3.

b Galat. 5, 24.

c Rom. 8, 8. Aug. de verb. Apost. serm. 6.

d Galat. 6, 7.

Digitized by Google

DE OCTO BEATITUDINIBUS.

I.

Quaenam sunt Evangelicae legis Beatitudines?

Illae sane sunt, quas et Dominicas Beatitudines, et Benedictiones Ambrosius [a] vocat, quae apud Matthaeum [b] Evangelistam octonario numero recensentur in hunc modum:

1. *Beati pauperes* [c] *spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum.*
2. *Beati* [d] *mites: quoniam ipsi possidebunt terram.*
3. *Beati,* [e] *qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.*
4. *Beati,* [f] *qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.*
5. *Beati* [g] *misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*
6. *Beati* [h] *mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*
7. *Beati* [i] *pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.*
8. *Beati* [k] *qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

II.

Quare haec de Beatitudinibus doctrina est observanda?

Quoniam prima et maxima pars est legis Evangelicae, quam Christus [a] Legifer noster in monte tradidit ore suo sacrosancto, ut considerarent omnes, quid Christiana Justitia ultra fidem complectatur et postulet: deinde

Vide Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte c. 2. et sequentib. Chromatium Episcop. in declamatione de octo Beatitudinibus. Gregor. Nyss. de Beatitudinibus. Leonem in hom. omnium Sanctorum. Item Bern. ser. 1. de festo omnium Sanctorum et serm. 4. de Adventu Domini.

a Ambr. in 6. c. Lucae.
b Matth. 5, 1-10. et ibid. Hilar. Chrys. Hieron., Chromatius, Theophyl. Euthym., Anselm. etc.
c Lucae 6, 20. Esaiae 66, 2. Jacobi 2, 5. Matth. 18, 4.
d Ps. 36, 11. Matth. 11, 29. Ps. 26, 13.
e Lucae 6, 21. 16, 25. 1. Reg. 15, 35. Joan. 16, 20-22. Esaiae 61, 1-7. Matth. 26, 75.
f Sapient. 1, 1. Psal. 15, 10. 16, 15. Esaiae 65, 13. 14.
g Psalm. 40, 23. Prov. 11, 17. 19. Eccli. 29, 15. Lucae 6, 36. 38.
h Ps. 23, 3-5. 50, 12.
i Psalm. 36, 37. 38. Joh. 14, 27.
k Lucae 6, 22. 1. Petri 3, 13. 14. 2. Tim. 3, 12. Act. 14. 21. Aug. de serm. Dom. in monte l. 1. c. 9.

a Esaiae 33, 22. Jacobi 4, 12. Matth. 5, 1. sq.

Digitized by Google

scirent, quomodo justis corona justitiae, ut Paulus [b] vocat, vel merces plena [c] aeternaque non sine [d] labore obveniat. Nam hinc etiam Jacobus affirmat: [e] *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*

b 2. Tim. 4, 8.
c 2. Joan. epist. 8. Lucae 6, 38.
d 1. Cor. 3, 8. Matth. 11, 12. Lucae 16, 16.
e Jacobi 1, 12.

III.

Quid vero circa hanc de Beatitudinibus doctrinam praecipue notandum est?

Ambrosius in sextum caput Lucae.

Primum quidem observari debet, gradus inter eas distinctos esse, ut ex ipso tum numero, tum ordine perspicitur. Deinde quolibet in gradu conjunctim duo proponuntur, quorum alterum ipse sit actus virtutis, seu meritum, et beatitudo (ut nuncupant) hujus vitae: alterum vero aeternae vitae praemium suo merito congruens, quam beatitudinem patriae licet appellare. Sicuti autem prior pars laborem et difficultatem offert credentibus; ita posterior, quae statim in singulis gradibus adjicitur, magnitudine propositi praemii consolationem admiscet, lenitque labores, sudores et agones in Christiana militia omnibus perferendos. [a] *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* [b] *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* [c] *Quae seminaverit homo, haec et metet*, ut constanter gentium Doctor asseverat. Quamobrem Dominus priusquam [d] tremendum se judicem orbi sistat, ad expectationem adventus sui

a 2. Tim. 2, 5.
b 1. Cor. 3, 8.
c Galat. 6, 17.
d Heb. 10, 23-27. 30. 31. 35-37. Actor. 17, 30. 31.

Digitized by Google

nos omnes his verbis excitat: [e] *Ecce venio cito*, inquit, *et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* [f] *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*: quae demum summa, aeterna et absoluta est beatitudo.

e Apoc. 22, 12.

f Apoc. 3, 21. Matth. 19, 28. 29. Lucae 22, 28. 29.

At [g] vana est prorsus mundi de beatitudine sententia, quae permultos interim fallit ac perdit. Nam beati fere vulgo putantur divites, praepotentes, gloria et auctoritate clari, bonis fortunae affluentes, voluptatibus indulgentes. Verum Christus [h] vae, vae istis opponit, et libere sic [i] Esaias acclamat: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* [k] *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*; nimirum ut auctorem suum bene beateque vivendo semper praedicet.

g Eccles. 2, 1-11. 5, 9. 10. 11, 8-10. Psalm. 143, 10 15. Sap. 2, 1-9.

h Lucae 6, 24-26. Esaiae 5, 8-24. 65, 12-14. Amos 6, 1-7.

i Esaiae 3, 12.

k Psalm. 143, 15. 32, 12. Et ibidem Aug. conc. 2. et in Psalm. 118. concione 1.

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

I.

Quae dicuntur Evangelica consilia?

Ea [a] videlicet, quae cum ad salutem consequendam simpliciter necessaria non sint, tamen ut parandae salutis ratio expeditior habeatur ac facilior, a Christo proponuntur atque consuluntur.

a Aug. ser. 61. de temp. et in enchirid. c. 121. Item lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 14. et l. de sancta virginitate c. 14. Idem lib. 2. quaest. evang. c. 19. et Paulinus ad Severum epist. 4.

Digitized by Google

Unde discrimen, quod scriptura inter praecepta et consilia [b] statuit, est sedulo retinendum, ut illa quidem, tanquam observatu necessaria, praescribi, haec vero, ut perfectam praeceptorum observationem promoventia suaderi, ac [c] sponte suscipi intelligamus. Hinc Apostolus, quum de observando coelibatu docere vellet, ita pronuntiat: [d] *De virginibus praeceptum Domini non habeo: Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis.* Quo spectat, quod Augustinus perspicue dixit: [e] Aliud est consilium, aliud praeceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut a vino et a carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, et pauperibus erogentur: Praeceptum vero datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat a malo, et faciat bonum. Et rursum: [f] Consilium qui libenter audierit et fecerit, majorem habebit gloriam: Praeceptum qui non impleverit, nisi poenitentia subvenerit, evadere poenam non poterit. Augustino consonat Ambrosius, cum ita scribit: [g] Non praecipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio, et quod tutius est, demonstratur. Item: Consilium invitat voluntarios: praeceptum etiam adstringit invitos. Neque aliter sensit Hieronymus, ut haec ejus verba [h] declarant: Ubi consilium datur, offeren-

b 1. Cor. 7, 25-40. Matth. 19, 21. 16, 24. Lucae 10, 35.

c 1. Cor. 9, 11-19. Matth. 26, 6-13. Marc. 14, 6-9. 3. Reg. 8, 20. 21. Genes. 8, 20. 21. Num. 6, 1-4.

d 1. Cor. 7, 25. Cypr. in serm. de nativitate Christi.

e Serm. 16. de tempore.

f Ibidem.

g Ambr. epist. 82. ad ecclesiam Vercellensem. Vide eundem in libro de viduis.

h Lib. 1. adversus Jovinianum.

Digitized by Google

tis arbitrium est: ubi praeceptum, necessitas est servientis. Sed majoris est mercedis, inquit, [i] quod non cogitur, et offertur.

i Epist. 22. ad Eustochium de virginitatis custodia.

II.

Quot sunt Evangelica consilia?

Omnia enumerare hoc loco non attinet: principalia vero tria sunt, de Paupertate, Castitate, et Obedientia complectenda, sicut e sacris litteris Patres intellexerunt. [a] Paupertas ad eos pertinet, qui semel omnia relinquunt, ut Christum exemplo Petri et Apostolorum perfecte sequantur. [b] Castitas eorum est, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum: et, uti Tertullianus [c] dixit, se voluntarios probant spadones. Obedientiam vero praestant, qui, ut seipsos plene [d] abnegent, non solum a cupiditatibus, verum etiam voluntate sua, quod Scriptura [e] admonet, prorsus avertuntur, dum ejus, quem sibi superiorem Christi loco elegerunt, voluntati sese totos subjiciunt.

a Matth. 19, 21. Actor. 4, 34. Vide vitam sancti Marci, Cypriani, Antonii, Hilarionis, Chrysostomi, Paulini, Augustini, Benedicti, Gregorii, Josaphat, Damasceni, etc.

b Matth. 19, 12. Euseb. l. 2. hist. c. 16. et Niceph. l. 2. c. 16. ex Philone de vita contem.

c Lib. 1. ad uxorem.

d Matth. 16, 24. Lucae 9, 23.

e Eccli. 18, 30. Galat. 5, 17. Basil. in regulis brevioribus, quaest. 96.

Hujusmodi consilia Christus perfectionis Evangelicae absolutum exemplar, non verbo tantum docuit, uti mox ostendemus, sed etiam exemplo vitae suae sanctissimae nobis confirmavit: qui [f] cum dives esset, propter nos pauper factus est, non [g] habens, ubi caput reclinaret: qui Virgo etiam ex virgine [h] natus, et sanctarum virginum [i] sponsus, perseverat: qui tam

f 2. Cor. 8, 9.

g Matth. 8, 20.

h Esaiae 7, 14.

i Hieron. epi. 22. ad Eustoch. Ambr. l. 1. de virginibus, et serm. 90.

Digitized by Google

sedulus demum in praestanda obedientia fuit, ut [k] matri virgini adeoque fabro subditus, et ad [l] mortem usque crucis obediens factus, de seipso testetur: [m] *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.*

k Lucae 2, 51. Matth. 17, 23-26.

l Philip. 2, 8. Matth. 26, 39. 42. Rom. 5, 19.

m Joan. 6, 38. 4, 34. 5, 30.

III.

Ubi consilium paupertatis Evangelicae a Christo docetur?

Apud [a] Matthaeum eo in loco ostenditur, qui sequitur divinorum praeceptorum enumerationem: de quibus praeceptis unicuique citra exceptionem dictum est: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ac deinde consilium de voluntaria paupertate [b] sectanda proponitur, addita verborum formula singulari, quae illud capessentis arbitrio relinqueret. Ait enim Dominus: [c] *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.* Ubi non solum ita consulit Dominus, verum etiam quasi calcar addit, et ut homines ad consilium hoc amplectendum lubentiores faciat, praemii proponit magnitudinem, quo eos alliciat atque consoletur. Sic enim fore promittit, ut qui omnibus propter Christum relictis pauper est, is habeat thesaurum in coelo, accipiat [d] centuplum, et possideat vitam aeternam, quae divitibus alioquin aditu est [e] perdifficilis.

a Matth. 19, 16-29.

b Hier. ad Heliod. Item in c. 19. Matth. et ad Demetriadem de servanda virginit. Quaest. 1. ad Hedibiam, et ad Pammachum super obitu Paulinae. Basil. quaest. 9. in regulis fusius disputatis. Damasc. in hist. Barlaam et Josaphat. Chrysost. in illud Pauli. Salutate Priscam et Aquilam.

c Ibidem. Lucae 18, 18-29. Marc. 10, 17-29. et ibidem Beda et Theophylact.

d Matth. 19, 16-29. et ibidem Hier. Euthym. et Anselmus. Item Theophylactus et Beda in Marcum et Lucam. Cassian. collat. 24. c. 26. Greg. hom. 18. in Ezechielem. Bernard. in declamat. de deserendis facultat. Damian. in ser. de S. Benedicto.

e Matth. 19, 16-29.

Digitized by Google

Hujusmodi paupertatis [f] cultores ac [g] professores erant Apostoli, quorum nomine fidenter dixit Petrus ad Christum: [h] *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.*

His accedunt nascentis Ecclesiae Christiani, qui, uti Lucas [i] testatur, vendebant possessiones, et pecuniam ex his conflatam, in communem usum conferebant; ita ut nemo suum esse diceret aliquid, quoniam indiscreta et communia apud ipsos manebant omnia.

Quae paupertas demum requirit, ut voluntaria plenaque sit abdicatio facultatum, quarum nulla [k] proprietas retineatur.

Atque hic locum habet celebris et antiquis probata [l] sententia: Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare; melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, et absolutum a solicitudine, cum Christo egere.

f Lucae 6, 20. et ibidem Ambro. Leo in serm. de omnibus Sanctis. Chromat. in c. 5. Matth. Bern. serm. 1. de festo omnium Sanctorum. Tertul. l. 4. contra Marcion.

g Aug. l. 17. de civit. Dei, c. 4.

h Matth. 19, 16-29.

i Act. 4, 32-37. 2, 44. 45. Hier. ad Demetriadem, et in catal. virorum illust. de Philone. Aug. in epist. 89. ad Hilarium. Possidon. in vita Aug. c. 5. Cassian. l. 7. et collat. 3.

k Act. 5, 1-11. Hier. ad Demetriad. Basil. ser. 1. de instit. monach. et in constit. monast. c. 19. et 35. Item quaest. 85. in regulis breviorib. Aug. epist. 109. et ser. 1. de communi vita cler. Item l. de morib. eccl. cathol. c 31. Hier. ad Eustoch. Greg. 4. dial. c. 55. et l. 10. ep. 22.

l Gennad. Lib. de eccle. dogmat. c. 71. Ambr. 1. Offic. 30. et Hier. adversus Vigil. Prosp. l. 2. de vita contemp. c. 9. Aug. l. de bono conjug. c. 8.

IV.

Ubi Castitatis consilium commendatur?

Tum in Evangelicis, tum in Apostolicis litteris. Laudat enim Christus [a] illud genus Eunuchorum, qui propter regnum coelorum seipsos castraverunt. Et ne praeceptum hoc esse magis quam consilium putaremus, mox subjicit: *Qui potest capere, capiat.* Quae vos quasi hortantis est Domini, ut

a Matth. 19, 9-12. Esaiae 56, 3-5. et ibidem Hieronym. Item l. 1. adversus Jovinian. Basil. de virginit. Epiphan. haeresi 58. contra Valesios. Aug. de sancta virginit. c. 25. et 26.

Digitized by Google

recte [b] Hieronymus interpretatur, et milites suos ad pudicitiae praemium concitantis; perinde ac si dicat: Qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet. Id ille potest, cui [c] datum est: datur autem omnibus, qui, ut [d] Hieronymus idem testatur, petierint, qui voluerint, qui, ut accipiant, laboraverint. Omni enim petenti [e] dabitur, et quaerens inveniet, et pulsanti aperietur.

Cui quidem castitati praemium [f] divina scriptura decernit, singulare autem virginum castitati. Etenim [g] qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines permanserunt, sine macula ante thronum Dei assistunt, cantantque novum canticum coram Deo et Agno, ac sequuntur Agnum quocumque ierit.

Apostolus vero planissime dixit: [h] *Bonum est homini mulierem non tangere.* Ac rursum: [i] *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse.* Atque iterum de vidua scribens: *Cui vult,* [k] inquit, *nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.*

Apostolo pulchre suffragatur [l] Ambrosius, ubi in haec verba scribit: Ju-

b Hieron. in cap. 19. Matth. et lib. 1. adversus Jovin. Cypr. in tract. de disciplina et habitu virginum.
c Sapient. 8. 21.
d Ibidem et Origenes tract. 7. in Matth. Aug. l. 6. confess. c. 11. Chrys. homil. 63. in Matth. Nazian. in oratione in dictum evangelii.
e Matth. 7, 7. Lucae 11, 9. Trid. sess. 24. can. 9.
f Sap. 3. 13. 4, 1. Eccli. 26, 20. Matth. 13, 5. 23. 22, 30. Marc. 12, 25. Lucae 20, 34-36.
g Apoc. 14, 1-4. Esaiae 56, 3-5. Psalm. 44, 11-16.
Cyril. catech. 4. 12. et 15. illum. Martial. in epist. ad Tolosan. ca. 8. 9. et 10. Hiero. in epist. ad Philemonem. Aug. in lib. de sancta virginit. c. 14. 27. et sequentib. Greg. in 3. parte curae pastor. admonit. 29.
h 1. Cor. 7, 1-40.
i Ibidem 25. 26. Vide Hieron. libro 1. adversus Jovin. Ambr. in primam Corinth. 7. et ibidem Theod. Item eundem in ep. divin. decret. c. de virginit. Chrys. in libro de virginitate.
k 1. Cor. 7, 39. 40. Judith. 8, 4-6. 15, 9-11. Lucae 2, 36. 37.
l Ambr. in epist. 81. ad Syricium papam. et 82. ad Vercellenses.

Digitized by Google

re laudatur bona uxor, sed melius pia virgo praefertur, dicente Apostolo: [m] *Qui jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.* Haec enim cogitat, quae Dei sunt, illa, quae mundi: illa conjugalibus vinculis colligata est, haec libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successionis humanae; sed melior virginitas, per quam regni coelestis haereditas acquisita, et coelestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus evenit. Ita Ambrosius.

Requirit autem isthaec castitas, ut quis consilio deliberato [n] atque constanti ab omni carnis sorde, seu venerea voluptate, incorruptus vivere studeat, atque vitam coelibem agat continenter: ut sit sanctus, [o] et corpore, et spiritu, propter Christum. Eoque spectans Apostolus, dixit: [p] *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis; et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit.*

V.

Quomodo consilium Evangelicum de Obedientia nobis proponitur?

Christus Dominus primum exemplo vitae sanctissimae, sicut ante meminimus, deinde verbo suo hujus obedientiae rationem perfectam nobis proposuit atque commendavit. Ve-

m 1. Cor. 7, 38. Legatur idem Amb. de viduis, et in 3. libris de virginib. Item in exhortat. ad virgines et in institutione virginis. Et Damascenus lib. 4 ortho. fidei c. 35. Praeterea Athanasius. Basilius, Nazian. Aug. de virginitate Item Fulgentius ep. 3. ad Probam. Hieron. ad Eustoch. et l. 1. contra Jovin. Item in apologia pro libris contra Jovin. Ignatius ad Philadelphien. Cyprianus de bono pudicitiae. Isidorus l. 2. de summo bono, cap. 40.

n Basil. in praefatione in Ascetica, et in constitutionibus monasticis, c. 1. Cassianus collation. 12. c. 4. et 7.

o 1. Cor. 7, 34.

p 1. Cor. 7, 37. Basilius hom. in Psalm. 44.

De Obedientiae laude et perfect. vide Aug. l. 14. de civitate Dei, c. 12. Hieron. epist. 8. ad Demetriad. Greg. l. 35. moral. c. 12. Item in 1. Reg. l. 2. c. 4. l. 4. c. et l. 6. c. 2. Cass. l. 4. c. 10. Collat. 2. c. 11. et coll. 4. c. 20. Bern. in ser. de 3. ordinib. eccl. Item ad milites templi, c. 13. et in ser. de virtute obed.

Digitized by Google

nit enim non suam [a] facere voluntatem, sed Patris, et eorum, quibus fuisse [b] subditus legitur: venit idem [c] ministrare, et non ministrari, adeo ut humiliarit semetipsum, factus [d] obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Tum ad sui imitationem nos verbo excitans, dixit: [e] *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Quae verba, ut generatim ad omnes dicta, recte quidem possunt accipi, sed peculiariter tamen atque perfectius ad eos pertinent, qui pro suo modulo se Christo ita conformant, ut nulla in re sui esse juris velint, et alieno potius, quam suo arbitratu vivere satagunt, dum alterius, quem Christi loco sibi praeposuerunt, voluntatem et imperium ultro sequuntur.

Horum praefectus, uti Basilius [f] docet, Christi personam obtinet, ac veluti mediator Dei et hominum factus, salutem obedientium, Deo sacrificat. Unde quemadmodum oves pastori obediunt, ea pergentes via, qua pastor ipsas duxerit; ita convenit hujusmodi pietatis exercitatores suis obedire praefectis, non curiose investigando praecepta, ubi a peccato aliena fuerint: sed cum omni alacritate ac studio explendo ea, quae demandantur. De quo praefecto, sic etiam post Basilium Bernardus [g] affirmat: Ipsum quem

a Joan. 6, 38. 4, 34. 5, 30.
b Lucae 2, 51. Bern. serm. 3. de circuncis. Dom.
c Matth. 20, 28. Lucae 22, 26.
d Philip. 2, 8.
*e Matth. 16. 24. Lucae 9, 23. Hieron. ad Rusticum monach. epist. 4. Basil. in ser. de abdicat. rerum, et in serm. de institut. monach. et quaest. 96. in regul. brevior. rib. Item in constit. monast. c. 23. Greg. l. 31. moral. c. 21. Niceph. l. 11. eccle. hist. c. 37.

f Basil. in constitutionibus monasticis c. 23 1. Reg. 15, 22. Eccles. 4, 17. Lucae 10, 16. Ephes. 6, 5. Coloss. 3, 20-24.

g Bern. in tractat. de praecepto et dispensatione. Vide eundem in epist. 7. ad Adam monachum.

Digitized by Google

pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quae non sunt aperte contra Deum, audire debemus.

Hujusmodi [h] autem fideles et excellentes Christi imitatores, qui dictis consiliis observandis serio vacarent, uti veteres ostendunt annales, Ecclesia semper habuit, et in his delectos probatosque coetus piorum ac religiosorum hominum, qui supra vulgi morem ac exemplum, abdicatis semel bonis omnibus, et relictis carnis illecebris, ex professo studerent sanctae obedientiae: eo videlicet spectantes, ut ad Christi obedientis exemplar, et ad evangelicae normae perfectionem sese totos componerent, nullumque propriae voluntati locum relinquerent. Cujus rei testes perquam idoneos habemus Basilium, Augustinum, Hieronymum, Benedictum, Gregorium, Cassianum, Bernardum, aliosque innumeros evangelicae perfectionis professores, et monastici instituti tum defensores, tum observatores integerrimos.

[h] Philo in l. de vita contemplat. et ex eodem Euse. et Niceph. Josephus. l. 18. antiquitat. c. 2. et l. 2. de bello Judaico c. 7. Epiphan. haeresi 20. Hieron. ad Eustoch. de custod. virg. Item de viris illustr. in Philone et Marco. Dionys. de eccles. hierarch. c. 6. Euseb. l. 1. demonstr. evang. c. 8. Aug. in Psal. 132. et de morib. eccles. Cathol. c. 31. et 33. Item l. 8. confess. c. 6. Amb. epist. 82. Cass. Collat. 18. c. 4. et sequent. Nazian. in vita Basil. Athan. in vita Antonii. Sulpic. in vita Martini. Isidor. l. 2. de eccl. off. c. 15. Sozom. l. 1. hist. c. 12. Greg. l. 2. dialog. et l. 1. epist. 23. Chrys. adversus vitup. monast. vitae, et hom. 56. ad pop. cum seq. Item homil. 14. in 1. ad Tim. Bern. in apol. ad Guiliel. abb. et ho. 14. de bonis margaritis.

VI.

Quid summatim de consiliis Evangelicis est sentiendum?

Hoc nimirum, quod sint incitamenta et subsidia quaedam commoda admodum, quae infirmis adversus [a] mundi, carnisque illecebras arma praebeant: quae bonorum conatus in cursu verae pietatis ad meliora provehant:

[a] 1. Joan. 2, 15-17. Lucae 14, 18-23. 8, 14. Matth. 19, 10. 11. 23. 13, 22. 1. Cor. 7, 32-34. Eccli. 31, 8. Prov. 29, 15. Judic. 17, 6. 21, 24. Galat. 5, 3.

Digitized by Google

quae spiritum ad praestanda Religionis divinique cultus officia expeditiorem reddant, et quae insuper, ut ostendimus, ad aeternae vitae mercedem, [b] ac gloriam in coelo pleniorem consequendam conferant.

Ac summa quidem Evangelicae perfectionis in eo versatur, ut, quam maxime possis, ad [c] charitatem contendas, Christumque [d] imiteris. Imitaris autem, si Christo et [e] pauperi, et [f] virgini, et aliis [g] subdito, et ad mortem usque crucis [h] obedienti, pro tua virili te studeas [i] conformare: si cum Apostolo itidem [k] Paulo, neglectis iis, quae retro sunt, indefesso labore ad anteriora contendas, et ad supernae vocationis bravium te extendas in dies, voluntate interim propria in totum, quoad ejus fieri potest, abdicata, ac homini propter Deum subjecta, ut [l] aemuleris usque meliora charismata, [m] partemque optimam tum eligas, tum bona fide in finem [n] usque conserves.

b Matth. 19, 16-29. Greg. lib. 26. Moral. cap. 25.
c 1. Cor. 13, 15. sq. 1. Joan. 2, 5. 6. 15. 4, 17. Coloss. 3, 12. sq. Aug. de morib. eccles. Cathol. c. 33.
d Lucae 9, 23.
e 2. Cor. 8, 9. Matth. 8, 20.
f 1. Petri 1, 18. 19.
g Lucae 2, 51.
h Philip. 2, 8.
i 1. Petri 2, 21.
k Philip. 3, 13. Psalm. 83, 8. Bern. epist. 253. ad Garinum Abbatem, et epist. 341. ad monachos S. Bertini. Item serm. 2. de Purific. B. Mariae. Aug. epist. 137. ad Hipponens.
l 1. Cor. 12, 31.
m Lucae 10, 42.
n Apoc. 2, 10.

DE QUATUOR HOMINIS NOVISSIMIS.

I.

Quae dicuntur quatuor hominis novissima?

Haec videlicet: Mors, Judicium, Infernus, et Regnum coelorum: dicta quidem [a] novissima, quod inter caetera omnia, quae homini accidere possunt, extremum plane locum sibi ven-

a Eccli. 7, 37-40. 28, 6. 38, 21. 22. Deut. 32, 28. 29. Proverb. 19, 20. Bern. in ser. de primordiis, mediis et novissimis.

Digitized by Google

dicent. Mors enim, ut dici solet, est ultima rerum linea. Mortem sequitur Judicium Dei, sicut et Paulus his verbis ostendit: [b] *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem Judicium*, tum [c] singulare scilicet, quod unusquisque moriens excipit, tum illud extremum et universale, quod omnes ad mundi finem expectat, ut supra [d] indicavimus.

Judicantur autem alii, quos in mortali peccato mors opprimit; ut [e] poenis apud inferos perpetuis addicantur: alii, quos ex hac vita migrantes ornat [f] nuptialis illa vestis Charitas, ut vita in coelesti regno perbeata fruantur. Hoc est, quod Evangelica veritas asserit: [g] *Procedent, qui bona fecerunt, in vitam aeternam; qui vero mala, in supplicium aeternum.* [h] *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.*

b Hebr. 9, 27.
c Aug. l. 2. de anima et ejus origine c. 4. Item tract. 49. in Joannem. Chrysost. hom. 14. in Matth.
d In symbolo.
e Lucae 16, 22-24. Matth. 25, 41.
f Matth. 22, 11-13. Aug. l. post collat. contra Donat. c. 20. Greg. hom. 38. in Evang.
g Joan. 5, 29. Matth. 25, 46.
h Matth. 16, 27.

II.

Quomodo nos Scriptura de Morte docet?

Sicut [a] *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertransiit*, ut Paulus affirmat. Igitur etsi [b] hora mortis nihil sit nobis incertius, [c] *Nescit enim homo finem suum*: morte tamen ipsa certius nihil esse potest. Unde scriptum est, et res ipsa quotidie docet: [d] *Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae*

a Rom. 5, 12. Sap. 1, 13. Conc. Milevit. can. 1. Aug. de praedest. et gratia cap. 3.
b Greg. hom. 13. in Evang. Aug. in Ps. 144. hom. 27. ex 50. et c. 2. soliloquiorum animae. Hugo Victorinus l. 1. de anima c. 3.
c Eccles. 9, 12. Jacob. 4, 13. 14. Eccli. 11, 18-20. 14-20. Lucae 12, 16-20.
d 2. Reg. 14, 14. Eccl. 2, 16. Psal. 89, 9. 10. 101, 4. 12. 102, 13-15. Job. 8, 9. 14, 1-5. 1. Petr. 1, 24. Aug. l. 13. de Civit. Dei, c. 10. et 11. Ser. 21. de verb. Dom. Innocent. 3. de contemptu mundi, lib. cap. 24.

Digitized by Google

non revertuntur. Idque confirmans Ecclesiasticus: [e] *Et Rex hodie est*, inquit, *et cras morietur. Cum morietur autem homo, haereditabit serpentes et bestias et vermes.*

Cum vero plurimum referat, quomodo, et quam parati moriamur, toties in Evangelio nobis repetitur illud: [f] Vigilate. Item: [g] *Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Parati vero et vigilantes mortem excipiemus, si serio et in omni vita pro se quisque meditetur, quod scriptum est: [h] *Ante obitum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum:* Sicut et Christus dixit: [i] *Venit nox, quando nemo potest operari.* [k] *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.*

Pulchre autem Propheta inter justorum malorumque mortem discrevit; nam de his quidem dicit: [l] *Mors peccatorum pessima*, illorum scilicet, qui velut pervicaces Judaei, in peccato sine poenitentia moriuntur, ac proinde sic pereunt, ut semper apud [m] inferos cum epulone divite sint excruciandi. De illis vero testatur: [n] *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Talibus [o] quippe mors ista corporis nihil est aliud, quam terrenae hujus peregrinationis et aerumnarum mortalis vitae terminus, somnus quietus, et secura obdormitio, verae vitae principium, et optabilis transitus ad bea-

e Eccli. 10, 12. 13. Job. 17, 14. Psalm. 48, 11. 12. 17. Baruch. 3, 16. 19. Eccli. 41, 1 - 7. Aug. sent. ult. apud Prosp.

f Matth. 25, 13. Marc. 13, 35. 37. Aug. epist. 80. ad Hesych., et quaest. 59. l. 83. quaestion.

g Lucae 12, 40. Apoc. 3, 3. 16, 15. Cypr. l. 4. epist. 2. ad Antonian. Aug. serm. 3. de Innoc. et tract. 33. in Joan. Greg. l. 16. moral. c. 31.

h Eccli. 14, 17.

i Eccl. 9, 10. 12, 1. sq. Galat. 6, 9. 10. Aug. de discipl. Christiana c. 2. Conc. Lateran. can. 22. Trid. sess. 14. Nannetense c. 4. Greg. 4. dialog. c. 58. Possid. in vita Augustini.

i Joan. 9. 4. Aug. in Enchirid. c. 110. et tract. 44. in Ioan.

k Joan. 12, 35. Lucae 19, 13.

l Psalm. 33, 22. Prov. 11, 7. Sap. 5, 8. 9. sq. 13-15. Psal. 10, 6. 7. Aug. ser. 48. et 57. ad fratres. in eremo. Hugo Victor. l. 1. de anima c. 2. l. 3. c. 23. et l. 4. c. 13. Innoc. 3. de contemptu mundi l. 2. c. 42.

m Lucae 16, 19-24. sq. Greg. 4. dial. c. 38. et hom. 12. in Evang. Beda l. 5. hist. Anglorum c. 14. et 15.

n Psal. 115, 15.

o 2. Cor. 5, 1. 6 - 8. Greg. 4. dialog. c. 11. et sq. Cypr. de mort. Ambr. in l. de bono mortis.

Digitized by Google

tam immortalitatem, cujus desiderio Apostolus flagrans, et hujus vitae pertaesus, [p] *Cupio*, inquit, *dissolvi, et esse cum Christo.* [q] *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Et, [r] *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* [s] *Justus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

p Philip. 1, 23. Lucae 2, 29. Psal. 41, 2. 3. 83, 2. 141, 8. Num. 23, 10.
q Lucae 12, 37.
r Apoc. 14, 13.
s Sapient. 4, 7.

III.

Quomodo Scriptura de Judicio admonet?

Horrendum [a] est, incidere in manus Dei viventis, Christique judicis, [b] ante cujus tribunal nos omnes oportet manifestari, et [c] unumquemque rationem pro seipso reddere: [d] *Cuncta enim quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.* Quare non modo peccatoribus, sed etiam saepe [e] sanctis judicii hujus terribilis est [f] expectatio. Timuit hinc David, ut solicite roget: [g] *Non intres in judicium cum servo tuo Domine.* Timuit et Job, quantumvis [h] innocens, suumque timorem his verbis ostendit: [i] *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi?* *Semper* [k] *quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.* [l] *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.*

Ac vero metuendus est Judex [m] ille, cujus non licet potestatem effugere, sapientiam fallere, aequitatem flecte-

a Heb. 10, 31. Bern. ser. 8. in Psal: Qui habitat.
b 2. Cor. 5, 10.
c Rom. 14, 10 11.
d Eccles. 12, 14. 11, 9. 1. Cor. 4, 5. Rom. 2. 1-16. Sapient. 1, 9. Eccli. 11, 23. Matth. 12, 36. 16, 27. Apoc. 20, 12. 13. 22, 12. Psalm. 61, 12. 13. 2. Tim. 4, 6-8. Damasc. in ser. de defunctis. Cyril. de exitu animae. Leont. in vita Eleëmosynarii.
e 1. Petri 4, 17. Sophon. 1, 12. Psal. 74. 3. Bern. ser. 55. in Cantica. Greg. l. 8. moral. c. 13.
f Hebr. 10, 26.
g Psalm. 142, 2.
h Job 1, 1.
i Job 31, 14.
k Ibidem 23. Greg. 21. moral. c. 15 et 16.
l Job. 9, 28. 24, 12. Eccles. 9, 1. 2. 1. Cor. 4, 3. 4.
m Aug. in l. de decem chordis c. 1. et 2. Prosper l. 3. de vita contempl. cap. 12. Bernar. epist. 1.

Digitized by Google

re, judicium retractare. De quo ita scriptum extat: [n] *Zelus et furor viri* (Christi judicis scilicet) *non parcet in die vindictae, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Qui de seipso etiam suoque judicio (ne quis sit inscius) hoc omnibus praenuntiavit: [o] *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* [p] *Ego Dominus scrutans cor et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum.* [q] *Ego opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem, cum omnibus gentibus et linguis: et venient, et videbunt gloriam meam.*

Caeterum de judicii [r] extremi die, qui et [s] dies Domini, dies irae, dies magnus et horribilis in scriptura dicitur, Apostolus Petrus docet in hunc modum: [t] *Adveniet dies Domini sicut fur, in quo coeli magno impetu transient: elementa vero calore solventur: terra autem et omnia, quae in ipsa sunt, opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus; expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.*

Ut vero tunc clementem judicem Christum, ac diem illum, quo *coelum*

Innocent. 3. l. 3. de contemptu mundi cap. 15.
n Prov. 6, 34.
o Psal. 74, 3. Bern. ser. 55. in Cantic.
p Hierem. 17, 10. 11, 20. 20, 11. 32, 18. 19. Prov. 16, 2. Hebr. 4, 13. 1. Paral. 28, 9. Malach. 3, 5. 6. Psal. 7, 11. 43, 21.
q Esaiae 66, 18. Judae epist 14. 15. Matth. 10, 26.
r Aug. 20. de civitate Dei, c. 1. 2. 30. et l. 18. c. 53. Item epist. 78. et 80. ad Hesych. Hippol. de consum. mundi. Damasc. l. 4. de orth. fidei c. 27.
s Sophon. 1, 14. Joël. 2, 1. 2. 3. 10. 11. 30. 3, 2. 12-16. Esaiae 13, 9-13. 24. 18-23. 66, 15. 16. sq. Hier. 23, 19. 20. Mal. 3, 1-4. 4, 1. 5. 6. Dan. 7, 9. 10. 13. 14. Apoc. 20, 11-15. 6, 12-17. Psalm. 96, 3-6 59, 2. 3. Matth. 24, 3-42. 25, 31-46. 13, 40-42. 3, 12. Sap. 5, 1-5. 18.
t 2. Pet. 3, 10-12. Aug. l. 20. de civit. Dei, c. 16. et 18. Chrys. hom. 46. ad pop. Antioch. et seq. Ephrem. in l. de judic. extremo et l. de vera poenit. Aug. ser. 67. de temp. Isidor de summo bono, l. 1. c. 30. Cyril. Catech. 15. illum. Hieron. ad Heliod. Greg. hom. 1. et 12. in Evang. Item l. 26. moral. c. 24. et 25. Aug. c. 4. meditat. Anselmus de miseria hominis. Bern. de interiori domo, cap. 38.

Digitized by Google

et terra [u] *transibunt*, nobis laetum habeamus, praeclarum hoc est consilium Sapientis: [x] *Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum; et in conspectu Dei invenies propitiationem.* [y] *Si enim nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* [z] *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur.*

IV.

Quid vero de inferno ejusque poenis?

Ut morte quidem nihil miserabilius, ut judicio etiam nihil est terribilius, praesertim filiis hujus seculi obstinate peccantibus: sic inferno ejusque poena nihil intolerabilius ac infelicius potest excogitari. Ibi enim (teste [a] Scriptura divina) *fletus est et stridor dentium:* ibi [b] *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur:* ibi *terra* [c] *tenebrosa et operta mortis caligine:* ibi *umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat:* ibi *pars* [d] *illorum in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda:* ibi [e] *cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Ibi demum verum esse comperietur, quod omnibus apud inferos torquendis justus Judex his verbis praedixit: [f] *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis: ecce servi mei bibent,*

u Lucae 21, 33. 1. Cor. 7, 31. Apoc. 21, 1.
x Eccli. 18, 20. 2. Petri 3, 13. 14. Lucae 21, 34. Tit. 2, 12. 1. Thess. 5, 2-6. Lucae 17, 26-29. Chrys. hom. 5. de poenit.
y 1. Cor. 11, 31.
z Eccl. 1, 13. Greg. l. 31. moral. c. 21. Aug. serm. 120. de temp.

Vide Chrys. ep. 5. ad Theod. laps., et Cyril. Alexand. de exitu animae. Prosper l. 3. de vita contemplat. c. 12. Item Gregor. l. 4. dialog. c. 28. 29. 32. et sequent. Isidor. de summo bono, l. 1. c. 31. et 32.
a Matth. 8, 11. 13, 40-42. 47-50. 22, 11-14. 24, 48-51. 25, 30. Lucae 13, 27-29.
b Marci 9, 42-45. Esa. 66, 23. 24. 14, 11-15. Eccli. 7, 19. Judith. 16, 20-21.
c Job 10. 22. Judae 12. Greg. l. 9. Mor. c. 45. et seq. Cassian. in Confess. Theologica p. 3. Ephraem in l. de vera poenit. c. 7. et 8.
d Apoc. 21, 8. 14, 9-11. 18, 5-8. 19, 20. 20, 9. 10. Psal. 10, 7. 20, 9. 10. Deut. 32, 22. Job 24, 19. 20. Rom. 2, 6. 7. Esaiae 13, 21. 22. Prov. 19, 29. Eccli. 21, 10.
e Apoc. 20, 10. 9, 6. Job 7, 9. 20, 4-29. Psalm. 48, 15. Esaiae 33, 11-14. Matth. 3, 10-12. 25, 41-46. 2. Thess. 1, 8. 2. Petri 2, 4-6. sq.
f Esaiae 65, 13. 14. Lucae 6, 24-26. 16, 22-26. Cyrillus Alex. in orat. de exitu anim. Aug. in enchir. c. 111. et seq. Item serm. 181. de temp., c. 18. Lib. de triplici habitaculo, c. 2. Cypr. ad Demetr. et in serm. de Ascensione Christi. Bern. epist. 253. et medit. c. 3. Item serm. 8. et in Psalm. Qui habitat. Hugo l. 4. de anima, c. 13. Innoc. 3. l. de contempt. mundi, c. 2. et seq. Concil. Florentin.

Digitized by Google

et vos sitietis: ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini: ecce servi mei laudabunt prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis.

Itaque Propheta regius, reges et principes omnes compellat, atque futuras malorum poenas illis proponit cum hac gravi admonitione: [g] *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* ([h] *Fortioribus* enim *fortior instat cruciatio, et judicium durissimum in his qui praesunt, fiet.*) *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa, cum exarserit in brevi ira ejus.* Hinc et Christus ipse dictum omnibus voluit: [i] *Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Ut enim est momentaneum, quod in hac vita delectat, ita sempiternum est, quod in gehenna excruciat.

g Psalm. 2, 10-13.

h Sap. 6, 9. 6. Esaiae 5, 14.

i Lucae 12, 5. Matth. 10, 28. Chrysost. lib. 1. de prov. Dei. Item ho. 5. et 55. ad pop. Antioch. Aug. in Psal. 49. Bern. in serm. de convers. ad Clericos, cap. 5.

V.

De Regno coelorum quid ex Scriptura discimus?

Paravit [a] hoc Regnum Deus electis ab origine mundi, [b] regnum coeleste, [c] regnum aeternum, [d] regnum beatissimum, de quo Paulus aperte fatetur: [e] *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* [f] *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus his qui diligunt*

a Matth. 25, 34.
b 2. Tim. 4, 18.
c 2. Petri 1, 11.
d Lucae 14, 15. Aug. serm. 37. de sanctis. Cypr. de mortalit.
e Rom. 8, 18. 2. Cor. 4, 17. Actor. 14, 21. 2. Tim. 2, 2-6. 11. 12. 4, 7. 8.
f 1. Cor. 2, 9. Esaiae 64, 4.

Digitized by Google

illum. [g] *O sanctam civitatem Hierusalem novam, descendentem de coelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* De qua Joannes, divinorum optime conscius, haec coelitus audivit et scripsit: [h] *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: et habitabit cum eis: et ipsi populus ejus erunt: et ipse Deus cum eis erit eorum Deus: et absterget omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quae prima abierunt.* Illic auditur [i] vox tubae magnae, et sicut vox aquarum multarum, et sicut vox tonitruorum magnorum dicentium, *Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni.*

[k] *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt*: beatiores vero, qui ad eam coenam [l] vocati, submotis impedimentis omnibus, accedunt, vestemque [m] nuptialem adferunt, ut in [n] regno Dei cum Abraham, Isaac et Jacob recumbant. Nec opus est rogare: [o] *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Expedita est responsio: *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.* Aut

g Apoc. 21, 2. sq. 22, 2-5. Matth. 13, 43. 22, 30. Sap. 3, 1. 4. 7. 8. 5, 16. 17. Daniel. 12, 2. 3. 1. Cor. 15, 41-44. 51-55. Philip. 3, 20. Joan. 14, 2.

h Apoc. 21, 3. 4. 7, 14-17. 1. Cor. 13, 12. 1. Joan. 3, 2. 3. Esaiae 25, 8-9. 33, 17. 20. 21. 49, 10. 51, 3. 11. 60, 18-22. 65, 17-19. 66, 13. 14. Psalm. 16, 15. 26, 13. 30, 20. 21. 35, 9. 10. 86, 3. 7. 114, 7-9. 149, 5-9. Chrys. epist. 5. ad Theod. lapsum. Anselm. ep. secunda, et in l. de similit., c. 47. et seq. Hugo l. 4. de anima c. 15. et 16.

i Apoc. 19, 1-6. Psal. 83, 2-5. 8. 11-13. et ibid. Aug. Item l. 10. de civit. Dei, c. 16. et l. vicesimo secundo c. 29. et 30. Item l. 3. de l. arbitrio capite ultimo, et l. 3. de symbol. ad Catechum. c. ultimo l. 1. de Trinitate c. 13. et de catech. rudib. c. 15. Tract. 4. in ep. Joan. 1. Meditat. c. 22. et 25. Soliloq. c. 21. 35. et 36. Manual. c. 6. 7. 16. 17.

k Apoc. 19, 9.

l Lucae 14, 16-20. sq. Greg. hom. 36. et 37. in Evang. Prosp. de vita contemp. l. 1. c. 2. et seq. Item l. 3. c. 32. Bern. in serm. de triplici genere bonor., et c. 4. meditat.

m Matth. 22, 11. sq.

n Matth. 8, 11. Lucae 13, 28. 29. 22, 29. 30. 12, 37. Greg. hom. 13. in Evang.

o Psal. 14, 1. 2. 23, 3-4. Esaiae 33, 15-17. Rom. 2, 6-10. Matth. 5, 8. Bern. in serm. de convers. ad clericos, c. 25.

Digitized by Google

si verbo Christi magis delectaris: [p] *Qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.* Sancta haec est civitas, et sanctos etiam cives requirit, [q] *non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

p Matth. 7, 21. 19, 16. 17. 25, 20. 21. Apoc. 2, 7. 10. 11. 17. 26. 3, 5. 12. 21. 7, 14. Bern. serm. 2. de verb. Apost. Non est regnum Dei esca et potus.
q Apoc. 21, 27.

VI.

Quis est usus et fructus doctrinae totius de quatuor novissimis?

Primum haec ipsa cognoscere ac serio meditari, eo confert, ut a cura, studio et amore illarum rerum, quae caducae, fluxae et vanae sunt in hoc mundo, facilius avocemur. [a] *Vanitas enim vanitatum*, dixit Ecclesiastes, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* [b] *Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.*

Vide Chrys. epist. quinta ad Theod. lapsum. et Damasc. in histor. Balaam et Josaphat.
a Eccle. 1, 2. et ibid. Hieron. Item Greg. l. quinto capite secundo in primum Regum.
b Eccl. 1, 14.

Deinde non solum a cogitationibus vanis curisque terrenis haec animadversa hominem revocant, verum etiam ab omni [c] peccandi licentia, consuetudine et proclivitate deterrent. Hinc aurea illa sententia: [d] *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

c Aug. l. 2. de Genesi contra Manich. c. 28. et serm. 20. de tempore. Greg. homil. 39. in Evang. Isidor. l. 3. de summo bono, c. ult.
d Eccli. 7, 40. Bern. serm. 1. in fest. omn. sanct. Item in ser. de primordiis, mediis, et noviss. nostris.

Praeterea monent sapientem, ut cunctis in rebus nihil temere faciat, sed extrema primum omnium sibi [e] proponat, fineque prospecto, via regia progrediatur, ut neque [f] ad dexteram, neque ad sinistram a recto deflectat.

e Deut. 32, 28. 29.
f Prov. 4, 27.

Praecipue vero hujusmodi rerum memoria et contemplatio id efficit,

Digitized by Google

ut divinus timor, [g] qui verae sapientiae fons, totius virtutis custos, ac in omni hominis vita necessarius est paedagogus, in aequi bonique studio nos confirmet ac provehat. Nam [h] *Timor Domini expellit peccatum: et qui sine timore est, non poterit justificari.* [i] *Qui timent Dominum, inquirent, quae beneplacita sunt ei; praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Demum [k] *qui timent Dominum, custodient mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.*

Caeterum filii seculi hujus, qui [l] vanitatem diligunt, et qaerunt mendacium: *qui* [m] *laetantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*, ante [n] quorum oculos non est timor Dei, nihil minus illi quam his de rebus cogitationem suscipiunt. [o] *Gens absque consilio est, et sine prudentia: utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent.* His videmus, quod Job sanctus aiebat, quotidie usuvenire: [p] *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi: Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* [q] *Sic risus dolore miscetur, et extrema gaudii luctus occupat.*

g Eccli. 1, 16. Psalm. 110, 10. Prov. 1, 7. 9, 10. Job 28, 28. Eccles. 7, 19. Prov. 14, 26. 27. Chrys. hom. 15. ad pop. Antioch. Item ho. 2. in 2. ad Thes. Aug. tract. 9. in epist. Joan. et in psal. 127.
h Eccli. 1, 27. 28.
i Eccli. 2, 19. Aug. ser. 13. et 18. de verb. Apost. Item l. de sanct. Virg. c. 38. et serm. 214. de tempore.
k Eccli. 2, 21. 22.
l Psalm. 4, 3.
m Prov. 2, 14.
n Psalm. 13, 3.
o Deut. 32, 28. 29. Bern. ser. 2. in dn. Apost. Petri et Pauli. Item epist. 292.
p Job. 21, 12. 13.
q Prov. 14, 13.

VII.

Quae est summa eorum, quae in hoc libro continentur?

Summa totius operis duabus rebus continetur, Sapientia, et Justitia

Digitized by Google

Christiana. Ad Sapientiam haec capita, videlicet de Fide et Symbolo Fidei, de Spe et Oratione Dominica, de Charitate et Decalogo referuntur. Nam Fides, Spes, Charitas, illae virtutes sunt, quibus veram hominis sapientiam, ut Augustinus [a] annotavit, divina Scriptura concludit. Accessit porro de praeceptis Ecclesiae, et de Sacramentis tractatio. Sicut enim praedictae virtutes absque Sacramentis et praeceptis Ecclesiae recte observatis subsistere non possunt, ita eorum accessione efficaciternnobis inseruntur; insertae confirma tur, augentur, et perficiuntur. Itaque in iis, quae ad Sapientiam referimus, explicandis, prior libri pars absoluta est.

a Lib. 2. retract. c. 63. et in Enchir. c. 2. et 3.

Posterior, quae circa Justitiam versatur, duas ejus partes tum ad mala fugienda, [b] tum ad bona consectanda spectantes, breviter enucleat. Etenim abstinere a malis, Chrysostomo [c] teste, non satis est nobis ad salutem, nisi adsit etiam bonorum possessio et virtutis actio. Utrique igitur parti capita nonnulla, quae praecipue ad malorum bonorumque discrimen observandum pertinent, accommodata sunt. Totius autem Justitiae vim et amplitudinem Tobias, vir aeque sapiens ac justus, succincte comprehendit, ubi suum filium, adeoque in illo filios Dei omnes sigillatim admonet in haec verba: [d] *Noli timere fili mi; pauperem quidem vitam*

b Psalm. 33, 15. et. 36, 27.

c Chrysost. in psal. 4. Plura vide supra.

d Tobiae 4, 22.

Digitized by Google

gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. Ita demum discimus Christiani hominis integrum officium, quod non modo fidem, sed vitam etiam, quae secundum Sapientiam, et Justitiam Christianam instituta sit, omnino requirat. [e] *Sapiens autem cor et intelligibile*, uti Scriptura testatur, *abstinebit se a peccatis, et in operibus Justitiae successus habebit.* Verum enimvero, ne institutae brevitatis terminos praetereemus, doctrinae hujus ad Christianos, eosque in primis simpliciores, instituendos pertinentis, hic modus et finis esto. Quae omnia uno Ecclesiastis verbo, tamquam totius humanae vitae illustri sigillo, consignabimus, ita concludentes: [f] Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.

e Eccli. 3, 32.

f Eccl. 12, 13.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Psalm. 67, 29.

FINIS.

Corrigenda.

Pagina	5	linea	30	pro	aptem	lege	apte
—	7	—	20	—	Pulchrae	—	Pulchre
—	7	—	22	—	praecipue	—	praecipuae
—	8	—	10	—	misercordiarum	—	misericordiarum
—	12	—	9	—	illustrae	—	illustre
—	16	—	21	—	administrationi	—	administratione
—	26	—	21	—	quaemadmodum	—	quemadmodum
—	58	—	4	—	indicandum	—	judicandum
—	60	—	26	—	se ducantur	—	seducantur
—	72	—	31	—	notos	—	nothos
—	98	—	2	—	nouas	—	novas
—	131	—	16	—	Dominicam esse	—	Dominica messe
—	136	—	20	—	prestant	—	praestant.
—	140	penult.		—	corrupte	—	corruptae
—	141	—	2	—	que	—	quae
—	186	—	17	—	soli	—	solis
—	204	—	17	—	Joan.	—	Jon.

Caetera Lector facile ipse corriget.

Digitized by Google

INDEX.

A.

pag.

Acedia. 165.
adulatio, peccatum alienum. 169. 170.
Aëriani. 123.
anabaptistarum error. 85.
avaritia. 160.

B.

Baptismus quid sit, et an omnibus necessar. 85.
baptismus est parvulis necessarius. 85.
baptismus parvulorum traditio Apostolica. 56.
baptismi aqua prius consecratur. 84.
baptismi caeremoniae quam antiquae. 84.
baptismus iterari non debet. 85.
baptismi verbum, elementum et minister. 86.
baptismi effectus et sequen. 86.
baptizati, chrismate cur inungantur. 91.
beatitudines octo. 225.

C.

Caeremoniae Ecclesiast. 82. et seq.
caeremoniae baptismi quam antiquae. 84.
castitatis commendatio. 231.
castitas perpetua. 229. 231 et 232.
castitas quomodo obtineri potest. 232.
a carnibus abstinendum in Quadragesima. 201.
a carnibus cur abstinent Catholici. 199.
carnis opera. 224.
charitatis commendatio, quid sit praecepta, vera indicia. 36. 37. 38. 39.
fraternae offic. 51.
in charitate consistit summa perfectionis evangelicae. 236.

pag.

Christus non Redemptor et mediator est tantum, sed etiam legislator, virtutum exemplar et judex. 15.
Christi passio et merita quibus prosint. 10. 11.
Christianus quis dicendus. 3. et sequent.
Christianus non est, qui extra ecclesiam degit. 3.
Christianus verus omnes sectas detestatur. 3.
Christianae doctrinae compendium. 3. 74.
Chrisma ex traditione Apost. servatur. 57.
Chrismatis sacri usus. 84. 91.
ciborum delectus 199. 200.
clavium potestas. 19.
caelibatus commendatio. 232.
ad caelibatum nemo cogitur, nisi qui eum ultro suscepit. 145.
coelorum regnum. 242.
communio sanctorum. vide Sanctorum.
communio Eucharist. annua. 68.
ad dignam communionem praeparatio. 109. 110.
communionem frequentem suadet Ignatius. 109.
communio unius speciei a Christo usurpata. 104.
in communione unius speciei totus Christus, et idem fructus percipitur. 104. et sequent.
communio alterius speciei olim fuit usitata. 104.
communione unius speciei non infertur communicantibus injuria 105. et sequent.
communionem unius speciei dudum praecepit Ecclesia. 105. 106.

Digitized by Google

communio utriusq. speciei non est praecepta non sacrificantibus. 103.
de communione utriusque speciei digladiantes fructum Eucharistiae amittunt. 107.
iidem unitatis symbolo ad divisionis symbolum abutuntur. 107.
concionatorum officium 170. sq.
in conciliis semel definita, non sunt vocanda in dubium. 64. 65. 179.
conciliorum auctoritas 64.
in conciliis generalibus quae sit episcoporum auctoritas. ibid.
concupiscentia in baptizatis non est proprie peccatum. 87.
concupiscentia cur baptismo non tollitur. ibid.
confessio annua. 68.
confessio sacerdoti facienda. 114. 115.
confessio Deo facta non sufficit. 114.
de confessione testimonia patrum. 116.
confirmationis sacramentum. 89. et seq.
confirmationis elementum, verbum et minister. 90. et seq.
confirmationis usus et fructus. 92.
conjugium, vide Matrimonium.
conjugium sacerdotum et monachorum. 144.
conjugium virginum sacrarum. 143. 144.
conniventia peccatum alienum. 171.
consensus peccatum alienum. 168.
consilia evangel. 227 et sq. 235.
consuetudinis ecclesiasticae quanta vis. 59.
consiliorum et praeceptorum discrimen. 228.
consuetudines ecclesiasticae unde profectae. 56.
consuetudinum ecclesiasticarum ratio non omnibus perspecta. 84.
consuetudo peccandi. 187.
consultores mali. 167.
continentia quibus donat. 146.
contritio quid sit, et quomodo paretur. 113.
correptionis fraternae omissio. 172.
credenda non ea solum, quae symbolo expressa sunt. 21.
crucis signum cur digitis efformamus. 11.
crucis signi antiquitas. 84.
crucis signum fronti imprimitur. 11. 93.
cultus divinus quid et quotuplex. 76.
crucis signi utilitas et efficacia. 11.

D.

Decalogus et ejus explicatio. 39. et seq.
decalogus etiam ad Christianos pertinet. 39. 53.
praeter decalogi praecepta etiam alia Christianis sunt observanda. 53.
decretris patrum resistere, peccatum in Spiritum sanctum. 179.
defensione peccatum alienum incurrimus. 173.
defuncti orationibus, sacrificiis et eleëmosynis juvantur. 122. 123.
defunctorum commemoratio fit in missa. 122. 123.
defunctorum commemoratio ab Apostolis sancita. 99. 123.
defunctis prodest missae sacrificium. 99. 101.
defunctis prosunt vivorum opera. 122. 123.
pro defunctis. prec. et offerre, traditio est Apostol. 122.

Digitized by Google

desperatio peccatum est in Spiritum sanctum. 177.
dilectio Dei et proximi. 37.
dona Spiritus sancti. 220. 221.

E.

Ecclesia quid sit. 60. 61.
ecclesia est congregatio visibilis. 16. 17.
ecclesia quomodo una, sancta et catholica. ibid.
ecclesia judex est controversiarum. 69.
ecclesiae auctoritas Augustinum movit, ut evangelio crederet. 69.
eccle. dignitas et auctoritas. 61. 62.
eccle. nomen haereticis et schismaticis quare non competat. 60.
ecclesiae nota et signum est successio Pontificum a Petro Apost. 60. 61. 139.
ecclesiae pastor Pontifex Romanus. 61.
eccle. post Christum unus summus pastor. 16.
eccle. pastorum auctoritas et potestas. 63. 64.
eccle. quid conducant Pastores et doctores. 65. 66.
eccle. potestas in condendis canonibus et in excommunicando. 69. 70.
eccle. praecepta et traditiones quem fructum afferunt. 71. 72. et seq.
ecclesiae praecepta partim scripta, partim non sunt scripta. 54. 71.
ecclesiae praecepta praecipua sunt quinque. 67.
ab ecclesiae unitate discedens cum haereticis reperitur. 73.
ecclesiam qui non habet matrem, non habebit Deum patrem. 18.
extra eccle. non est salus. 17. 18.
extra ecclesiam sunt Judaei, ethnici, haeretici, schismatici, et excommunicati. 17. 60.
ecclesiastica hierarchiae similis caelesti. 129.
ecclesiastica potestas major est, quam politica. 65.
ecclesiasticae traditiones. vide Traditiones.
ecclesiasticorum praeceptorum observantia quem afferat fructum. 68.
ecclesiasticis et apostolicis mandatis parendum. 53. 54.
eleëmosyna quid sit. 207.
eleëmos. in scripturis quomodo commendata. 207. 208.
eleëmosynae vis. 188.
eleëmos. virtus et fruct. 208. 209.
episcoporum et pastorum in ecclesia auctoritas. 63. 64.
eucharistia excellentissimum est sacramentum. 93.
eucharistia summum est et proprium novae legis sacrificium. 99.
eucharistia panis est quotidianus. 28.
eucharistia bonam gratiam et gratiarum actionem significat. 94.
eucharistia viaticum est. 108.
eucharistia conficitur per verba Christi. 97.
eucharistiae sacramentum adorandum. 98.
eucharist. fruct. 107. 108. et seq.
per eucharist. Christo incorporamur. 94. 108.
in eucharistiae quavis particula totus Christus continetur. 105. 106.
eucharistiae oblatio debet fieri sub utraque specie. 103.
eucharistiae communio an sub una, an sub utraque specie fieri debeat. 103.
in eucharistia sub speciebus panis et vini vere corpus et sanguis Christi continetur. 95.
in eucharistia panis et vinum in corpus et sangui-

Digitized by Google

nem Domini transsubstantiantur. 97.
eunuchi evangelici. 146. 231.
excommunicatio. 70.
excommunicati. 18.
exorcismi. 84.
externa quid ad pietatem conferant. 77.

F.

Festi dies piis operib. celeb. 46.
festorum dierum celebratio. 67.
festa sanctorum. 44.
fides quid sit. 4.
fides quam necessaria. 4.
fides sola, nec cum spe quidem sufficit, si charitate sit destituta. 36.
fides rationi aut experientiae non nititur. 5.
fides postulat firmum assensum. 4.
fidei commendatio. 5. 26. 36.
fidei soli innitentes praesumptuosi sunt. 176.
fidei summa 12. articulis continetur. 5. 6.
fortitudo. 219. et seq.
fructus spiritus sancti. 221.

G.

Gula. 163.

H.

Haereticus quis habendus. 59.
haeretici non sunt veri Christiani. 3.
haeretici sunt extra ecclesiam. 17.
haeretici scripturis omnia confirmare nituntur. 69.
haeretici ecclesiam non audiunt. 73.
haereticorum a Catholicis distinctio. 72. 73.
homicidium voluntarium. 182.

I.

Iconoclastae damnati. 45.
iconoclastarum furor et impietas. ibid.
idololatriae damnatio. 40. 41.
jejunium philosophicum. 199.
jejunium magnum et generale quod sit. ibid.
jejunium ecclesiasticum quod sit. ibid.
jejunium quare pie suscipitur. ibid.
jejunium in scripturis quam magnifice commendatur. 201.
jejunii ecclesiastici meritum et utilitas. ibid.
jejunia ecclesiae libera esse volebat Aërius. 200.
jejunia ab ecclesia indicta et observanda. 67.
jejunia ecclesiae ex Apostolorum traditione. 56.
jejunia contemnentes quinam et quales sint. 201. 202.
jejunandi certa temp. 200. 201.
imagines non adorant Christiani tamquam deos. 44.
imaginum usus primo mandato non repugnat. ibid.
imaginum usus Apostolica traditio. 45. 56.
imagines crucis, vide Crucis signum.
imaginum usum vetus agnovit ecclesia. 45.
in imaginibus eos veneramur, quos repraesentant. 45.
impoenitentia. 181.
inferni poenae. 241.
invidia. 162. 163.
invidentia fraternae charitatis. 179.
ira. 164.
irritatio peccatum alienum. 169.
judicium extremum. 14. 239. 240.
juramenta temeraria. 46.
justio peccatum alienum. 168.
justitia Christiana duab. partib. absolvit. 4. 151. 193. 246.
justitia virtus cardinal. 215. 217.
justitia Christiana circa quae bona versatur. 193.
justitia hominis in hac vita jejunium, eleëmosyna et oratio. 197. seq.
justitiae nomen generale. 193. 194.

Digitized by Google

justi quinam in scriptura appellati. 52.

L.

Latria soli Deo debetur. 41.
laudatio quando peccatum alienum. 169. 170.
libertas Christiana. 71.
litaniae. 44.
luxuria. 161. 162.

M.

Mandata Dei omnibus etiam Christianis commendata. 38. 52.
mandatorum Dei facilitas. 40.
manuum impositio signum est invisibilis gratiae. 130.
Maria advocata. 34.
Maria virgo sine peccato. 33.
Mariae virginis invocatio et laudes. 34.
Mariae vita omnium est disciplina. 35.
Mariam invocant Chrysost. Augustin. Bernard. 34. 35.
de Maria virgine patrum testimonia. 34. 35.
matrimonii sacrament. 140. 141. et seq.
matrimonium virginum sacrarum adulterium est, incestus et sacrilegium. 143. 144.
matrimonium non est permissum monachis, aut iis, qui ordinibus sacris initiati sunt. 144.
matrimonio juncti an possint religionem ingredi. 143.
matrimonium non est permissum voto castitatis astrictis virginibus. 143. 144.
matrimonium dissolvi non potest. 142.
merces bonorum operum. 196. 198.
merces operariorum defraudata. 185. 186.
meritum bonorum operum. 196. 198.
misericordia quid sit. 209.
misericord. commend. 207. 209.
misericordiae opera duplicia. 210.
misericordiae opera corporalia. ibid.
misericordiae opera corporalia in scriptura commendata. 210. 211.
misericordiae opera spiritualia. 210.
misericordiae opera spiritualia in scriptura commendata. 211. seq.
missae sacrificium tempore Antichristi abolendum. 100.
missae sacrificium quomodo differat a sacrificio in cruce peracto. 102.
missae sacrificium per sacrificia legis naturae et Mosaicae praefiguratum. 100.
missae sacrificium per sacrificium Melchisedec praefiguratum, et de eo a Malachia prophetat. ibid.
missae sacrificium a Christo institutum, et Apostolis eorumque successoribus demandatum. 99. 100.
missae sacrificium approbatum. 100.
missae sacrificium prodest ad hujus vitae mala depellenda, et bona impetranda vivis et mortuis. 99.
missae nomen antiquum. 100.
missae officium diebus festis audiendum. 67.
missae fructus et utilit. 101. et sq.
missae caeremoniae et ornatus qui adhibentur. 101.
quae in missa peraguntur ex Apost. traditione descendunt. 56. 99.
ministrorum improbitas Sacramentorum efficaciae nihil obsistit. 82.
ministri ecclesiae distincti. 130.
monastici instituti antiquitas. 235.
mors bonorum et malorum quid discrepet. 238.

Digitized by Google

mors animae. 239.
morientium cum daemone conflictatio. 126.
ad mortem praeparatio. 238.
mortui. Vide Defuncti.

N.

Necessitas felix quae ad meliora compellit. 147.
novissima hominis quatuor. 236. et seq.
nuptiae sacrarum virginum. Vide Matrimonium.

O.

Obedientia voluntaria. 229. 234.
obediendum superiori tanquam Christo in omnibus, quae non sunt aperte contra Deum. 235.
obstinatio. 180.
operum bonorum meritum. Vide Meritum,
operum bonorum fructus. 195.
opera bona praecipua sunt tria. 197.
operibus bonis insistendum. 194.
opera misericordiae. 210.
opera carnis. 224.
opera misericordiae in judicio examinabuntur. 212.
operariorum merces defraudata. Vide Merces.
oppressio pauperum. 184. seq.
oratio quid sit. 203.
orationis utilitas et commendatio. 203.
orationis vis et efficac. 205. et sq.
orantium certi gestus. 204.
orationis Dominicae summa. 25. 30.
orationis Dominicae explicatio. 25.
orationis Dominicae commendatio. 25.
originale peccatum, et ejus remedium. 152.
ordinis sacramentum. 127.
ordinis sacramenti virtus et effectus. 137.
de ordinis sacramento veterum sententiae. 132.
ordines majores et minores qui. 130. 131. 133.
ordinis confusio quantum malum afferat. 138.
ordinatio fit per manuum impositionem. 130.
ordinationes haereticorum temerariae, leves et inconstantes. 136.
non ordinati ministri, ut fures et latrones et lupi cavendi. 138.
ordinandi non quivis temere. 130.

P.

Parvulis baptismus necessarius. 56. 85.
parvuli non baptizati perirent. 85.
parentum honor et reverentia. 47.
participatione alienum peccatum committit. 172. sq.
pastoribus ecclesiae obtemperandum. 67.
pastorum ecclesiae potestas. 56.
pastores et doctores quid conducant ecclesiae. 65. 66.
patrum consensio firmum est veritatis testimonium. 64.
patrum in conciliis auctorit. 64.
paupertas evangelica et voluntaria. 230.
paupertatem professi Apostoli. 231.
paupertas evangelica proprietatem respuit. 231.
peccatum quid sit et quotuplex. 152.
peccatum originale, mortale, ac veniale. 152. 153.
ad peccatum quomodo et per quos gradus perven. 157.
peccati labes. 28.
peccandi consuetudo. 187.
peccatum quare fugiendum, et quam sit execrandum malum. 154. 155.
peccatum unum altero gravius. 153.
peccata quom. facile vitant. 158.

Digitized by Google

peccatorum longa catena. 157.
peccata quomodo expiantur. 187. 188. seq.
peccata quam graviter a Deo puniuntur. 156. 192.
peccatorum remissio. 18. 28.
peccata minuta et venialia non contemnenda. 191.
peccatorum venialium expiatio. 192.
peccata capitalia septem. 159.
peccata in Spir. sanct. 174. 175.
peccare in patrem et filium, quid sit. 175.
peccata aliena. 166.
peccata aliena quot modis committantur. 167.
peccata in coelum clamant. 182.
perseverantiae munus. 220.
perfectionis evangelicae studiosi. 235.
perfectionis summa in charitate consistit. ibid.
Pet. Apost. primatus. 60.
poenitentiae sacramentum. 110. 188.
poenitentiae sacrament. relapsis necessarium. 111. 188.
poenitentia secunda post naufragium tabula. 112.
ad poenitentiae sacramentum tria requiruntur. 112.
poenitentiae commendatio. 124.
pontifex summus ecclesiae. 16. 60. 61.
pontificis summi in ecclesia auctoritas. 65. 66.
Pontifex Rom. ecclesiae pastor est. 60.
Pontificum Rom. successio. Vide Successio.
Praecepta Dei decem. 39.
praecepta Ecclesiae. Vide Eccl.
praedicatorum offic. 170. sq.
praesumptio peccatum est in Spirit. sanct. 176.
primatus Petri Apost. 60.
proprietas esse non debet apud pauperes evangelicos. 231.
proximus nost. omnis homo. 37.
prudentia quomodo in scripturis commendata. 216.
purgatorius ignis. 121. 123. 191.
purgatorius ignis quam gravis. 192.

Q.

Quadragesima. 67. 200.
quadragesimae jejunium traditio Apost. 56.
quadragesimale jejunium ab Apostolis institutum. 201.

R.

Rebaptizare catholicum, immanissimum scelus. 86.
redemptionis humanae beneficium et fructus. 14. 15.
regnum coelorum. 20.
religiosorum conventus ab initio ecclesiae. 235.
reliquiae sanctorum honorandae. 44.
remissio peccatorum thesaurus magnus. 18.
remissionis peccatorum qui sint capaces. 18. 19.
Romanae ecclesiae primatus. 61.
Romanam ecclesiam quam magnifice commendarunt patres. ibid.
renunciatio facultatum. 231.
resurrectio mortuorum. 19.
reticentia peccatum alien. 170.

S.

Sapientia circa quae versatur. 3.
sacrificium missae in quo differat a sacrificio in cruce peracto. 102.
sacrificium incruentum eucharistiae. 102.
sacerdotii dignitas. 134.
sacerdotes spirituales qui sint. 128.
sacerdotes mali quinam honorandi, et quibus obtemperandum. 135. 139.
sacerdotes mali non nocent sacrament. 82.
sacerdotes non sunt omnes Christiani. 128.

Digitized by Google

sacerdotum ab episcopis distinctio. 130. 131.
sacerdotum officium. 127. 128.
sacerdotum officium mulieribus aut plebeiis non convenit. 129.
sacerdotum nostrorum major in remittendis peccatis potestas, quam veteris legis. 111.
sacerdotib. qui successionem ab Apostolis habent, obtemperandum. 136.
salutatio angelica, et ejus usus et utilitas. 31. 32.
sancti in coelo beatissimam vitam degunt. 41. 42.
sancti honorandi et invocandi. 42. 43.
sancti a patribus appellantur patroni, intercessores et suffragatores. 43. 44.
sancti, quae in terris geruntur, possunt intelligere, et de nobis sunt soliciti. 42.
sanctorum festa. 44.
sanctorum invocatio honorem Dei promovet. 43.
sanctorum nomen ad omnes etiam Christianos pertinet. 41.
sanctorum communio. 17.
sanctorum communione etiam mortui nondum salvati continentur. ibid.
extra sanctorum communionem non est salus. ibid.
in sanctorum communione non continentur Judaei, ethnici, haeretici, schismatici aut excommunicati. 17. 18.
sanctorum reliquiae venerandae, vide reliquiae.
propter sanctos multa largitur Deus mortalibus etiam immerentibus. 44.
sanctos ab ecclesia non ut deos coli. ibid.
sacramentum quid sit. 77.
sacramenta quid ad doctr. Christian. conducant. 74. 75.
sacramenta quibus rebus constent. 79.
sacramenta novae legis quantum distent a veteris legis sacramentis. 80. 81.
sacramenta quibus de causis instituta. ibid.
sacramenta cujusmodi signa sint. 77. 78.
sacram. digne suscipienda. 79.
sacramentorum vis per ministri improbitatem non impeditur. 82.
sacramentorum ministri non sunt quivis promiscue homines. ibid.
sacramentorum contemptores sacrilegi sunt habendi. 80.
sacramentorum novae legis numerus. 79. 80.
sacramentorum vis et efficacia. 78. 79. 80. 81.
sacramentorum inter se comparatio et distinctio. 147. 148.
sacramentorum necessitas. 74. 75. 76.
sacramentariorum blasphemia dudum et saepe damnata. 96.
satisfactionis nomen patribus familiare. 119.
de satisfactione patrum sententiae. 119. 120.
satisfactio alia redemptoris, alia fidelium poenitentium. 117.
satisfactioni post mortem etiam locus est. 121. 122. 191.
satisfactio nostra Christi satisfactionem illustrat. 118.
satisfactionis opera. 190.
scripta non sunt omnia. 58. 69. 71.
scriptura non in legendo, sed in intelligendo consistit. 69.
scripturae sacrae libri ex Ecclesiae judicio aestimandi. 21. 69.
script. sensus et interpretatio ab Eccl. petenda. ibid.

Digitized by Google

scripturis plurimum utuntur haeretici. ibid.
securitas haereticorum. 176.
sodomiticum peccatum. 183.
spadones voluntarii. 146. 229.
spes quid sit. 23.
spes quomodo comparat. ibid.
spei efficacia. 23. 36.
sperare sine bona conscientia, praesumere est. 24.
speranda quaenam sint. ibid.
spiritus sancti epitheta. 7. 16.
spir. sancti dona. 220. 221. et sq.
spiritus sancti fruct. 221.
superiorum honor et reverentia. 47.
superbia quid sit, et quas filias gignat. 160.
successio pontificum ab Apostolo Petro illustris est ecclesiae nota. 60. 139.
successio Romanor. pontificum. ibid.
symbolum quid contineat. 6.
symboli auctores Apostoli fuerunt. 5.
symboli praecipuae partes Trinitati respondent. 7.
symboli per singulos articulos explicatio. 7.
symboli articuli. 6.
symbolo distinguuntur Christiani ab impiis. ibid.

T.

Tentationibus non succumbendum. 28. 29.
temperantia. 218.
de traditionibus observandis patrum sentent. 59. 70. 71.
traditiones ecclesiasticae observandae. 21. 22.
traditiones contemnunt haeretici. 60. 73.
traditiones ecclesiasticas contemnentes quomodo peccent. 58. 59.
traditiones aliquot Apostolicae recensentur. 56.
traditiones Apostolicae quomodo cognoscantur. 55.
traditiones non scriptae retinendae. 57.
traditiones non omnes ejusdem generis sunt. ibid.
Transsubstantiatio. 97. et seq.

V.

Veritatis agnitae impugnatio, peccatum in spiritum sanctum. 178.
Vigilantiani haeretici. 44.
vigiliae. 68.
virtutes Theolog. quae sint. 3.
virtutes cardinal. quae et quot sint. 214. 215. sq.
virgines. 145. 146.
virginitatis commendatio. 232. 233.
virginitas servari potest. 231. 232.
virginitas non est aequanda, imo et praeferenda conjugio. 233.
virginitatis consilium. 228.
virginitatis praemium singulare. 232.
post virginitatis votum ad nuptias convolantes peccare tradiderunt Apostoli. 143.
virginitatis votum violare non licere, traditio est Apostolica. 144.
vita aeterna. 20. 242 et seq.
unctionis extremae sacramentum. 125.
unctionis extremae materia, forma et minister. ibid.
unctionis fructus. 126.
voluntas propria abneganda. 234. 235.
votorum observatio. 46.
vota reddenda. 145.
voto astrictorum conjugia. Vide Matrimonium.
votum virginitatis. Vide Virginitas.
ad vovendum pigri esse non debemus. 147.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

De Hominis
Lapsu et Justificatione
secundum
sententiam et doctrinam Concilii Tridentini.

Appendix
ad
summam doctrinae christianae,
nec non
capita doctrinae christianae
compendio tradita,
ut sit veluti
parvus Catechismus catholicorum.

Auctore
Dr. Petro Canisio,
Societatis Jesu Theologo.

Petr. Canis

Novissima editio.

Landishuti, 1824.
Ex officina Josephi Thomann.

Digitized by Google

Digitized by Google

De

Hominis lapsu et justificatione

secundum sententiam et doctrinam Concilii Tridentini.

I.

De statu et lapsu primi hominis.

Cum primus homo [a] Adam mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua fuerat constitutus, amisit: ac praeterea per hujusmodi praevaricationis offensam, iram et indignationem Dei, atque adeo mortem, [b] quam antea comminatus illi fuerat Deus, incurrit: et cum hac ipsa morte in diaboli, [c] qui [d] mortis deinde habuit imperium, captivitatem incidit; demumque totus [e] Adam per illam ipsam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatus fuit.

Ex sess. 5. Conc. Trident. can. 1.

a Gen. 2, 15. 3, 6-24. Aug. Lib. 14. de civ. Dei c. 17. L. 6. de gen. ad Lite. c. 26. 27. in concion. ad catechum. cont. Judaeos. et c. 2. Fulgent. de incarnat. et gratia christi cap. 12. 13. Bern. Sermo. 1. de annuntia. Prosper. contra collator. c. 21.

b Gen. 2, 15. 3, 6-24. Rom. 5, 12. Conc. milet. can. 1. Aug. l. 1. de civit. Dei c. 12. l. 1. de pecc. meri. c. 2. 4. 6. Tertull. de anima c. 52. Fulgent. de incarnat. c. 12. Chrysost. hom. 17. in gen. Bern. ad milit. templi. c. 11.

c August. de Trinit. l. 13. c. 12. l. 3. Hypogn. c. 2. Bern. Epist. 190.

d Hebr. 2, 14.

e Conc. 2. araus. can. 1. l. de Eccl. dogmat. c. 38. Aug. l. 13. de trinit. c. 12. l. 114. de civit. Dei. c. 15.

II.

De peccato Adae in omnes homines transfuso.

Neque vero Adae praevaricatio sibi soli, sed etiam ejus [a] propagini et toti posteritati nocuit, ut qui acceptam a

Ex canone 2. ejusd. sess. 5.

a Rom. 5, 12-19. 1. Cor. 15, 21. 22. Eccl. 25, 32. Conc.

Digitized by Google

Deo sanctitatem et justitiam sibi [b] nobisque perdiderit, et per inobedientiae peccatum inquinatus, non mortem et poenas corporis [c] tantum, verum etiam peccatum (quod mors est animae) in omne genus humanum transfudit. Id quod Apostolus [d] confirmans dixit: *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

* Unde Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, [e] non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique [f] proprium, aliquo remedio expiari necesse est ad vitam aeternam consequendam. Nam * ex eo immundi, et, ut [g] Apostolus inquit, natura filii irae, tum semen peccati, diaboli et mortis omnes efficiuntur, * excepta interim beata et immaculata [h] virgine Maria Dei genetrice, quam hoc loco, ubi de peccato originali agitur, non comprehendimus.

2. araus. can. 2. August. in enchir. c. 26. L. 2. Hypogn. c. 1 et seq. l. 13. de civit. Dei c. 3 et 14. et l. 14. c. 1. Prosp. l. 1. de vocat. gent. c. 7. et ad capitula gallorum. c. 8.

b Prosp. contra collator. c. 19. et ad tria prima dub. Genuens. Fulg. de incarnat. et gratia christi c. 19.

c Gennad. de Eccles. dogmat. c. 39. Aug. in enchirid. c. 26. l. 15. de civit. Dei. c. 1. de praedest. et grat. c. 3. l. 6. contr. Julian. c. 12. 20. 24 et 26. Fulg. de incar. et grat. christi c. 14. 15. de fide ad Petr. c. 25. Prosp. l. 2. de Vit. contempl. c. 20. et contra Collat. c. 20. l. de ingratis c. 40 et 27. Petr. diac. de incarnat. et grat. Christi c. 6.

d Rom. 5, 12.

* Ex can. 3. sess. 5.

e August. l. 2. cont. Pelag. et Coelest. c. 15. 16. l. 1. de peccat. merit. c. 9. 10. 11. 12. et 13. l. 2. Hypogn. c. 4. Epist. 86. quaest. 3. l. 5. cont. Julian. c. 24. Serm. 14. de Verb. apost. c. 14 et seq.

f Idem l. 3. de peccat. merit. c. 8. l. 6. cont. Julian. c. 10.

* Ex can. 1. sess. 6.

g Ephes. 2, 3. Fulgent. de fid. ad Petrum. c. 26. cont. Julian. c. 10.

* Ex appendice sess. 5,

h Vide extravag. comm. l. 3. de reliq. et veneratione sanct. Aug. de nat. et grat. c. 36. Concil. Trid. sess. 5. in fine decreti de peccat. original.

III.

De remedio originalis peccati.

Ex can. 3. sess. 5.

Peccatum hoc originis, quod inest unicuique proprium, ut diximus, ne-

Digitized by Google

que per humanae [a] naturae vires, neque per aliud remedium tollitur, quam per meritum unius [b] Mediatoris Domini nostri Jesu Christi; qui nos Deo [c] reconciliavit in sanguine suo, factus nobis [d] justitia, sanctificatio et redemptio. Hujus vero meritum [e] per baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicatur: quia [f] non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde illa vox: [g] *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccati mundi.* Et illa: [h] *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*

a Aug. Ep. 28. Enchirid. c. 48. Fulg. de incarnat. et grat. christi. c. 16.
b 1. Tim. 2, 5.
c Rom. 5, 1. 2. 6-11. Petr. diacon. de incar. et grat. Christi. c. 16. Bern. Ep. 190. 2. Cor. 5, 17.
d 1. Cor. 1, 30. Bern. Serm. 1. de purificatione.
e Tit. 3, 4 — 7.
f Actor. 4, 10. 11.
g Joan. 1, 36.
h Gal. 3, 26. 27. Aug. l. 6. cont. Julian. c. 4.

* Unde errant graviter, qui negant parvulos [i] recentes ab uteris matrum baptizandos esse, etiam si fuerint a baptismis parentibus orti. Baptizantur certe etiam hi in remissionem peccatorum, ut qui ex Adamo peccatum traxerint originale, quod [k] regenerationis lavacro expiari necesse est, ad vitam aeternam consequendam; quoniam non aliter intelligendum est: [l] *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis rege-

* Ex can. 4. sess. 5.
i Conc. milevit. can. 2. African. can. 77.
k Aug. l. 1. de peccat. merit. c. 16. l. 4. cont. 2. Epist. Pelag. 4.
l Rom. 5, 12. Aug. l. 4. cont. 2. Epist. Pel. c. 4. l. 2. cont. Pelagium et coelest. c. 40.

Digitized by Google

neratione mundetur, quod generatione contraxerunt. [m] *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

m Joan. 3, 5.

IV.

De reliquiis originalis peccati in baptizatis.

Ex can. 5. sess. 5.

Praeterea confitendum est, reatum originalis peccati per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, remitti, et in baptizatis [a] totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, tolli, non radi tantum aut non imputari. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil [b] est damnationis iis, qui [c] vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed [d] veterem hominem exuentes, et novum qui secundum Deum creatus est induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt: [e] haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Ac interim fateri oportet, manere in baptizatis [f] concupiscentiam vel fomitem, quae cum ad agonem [g] relicta sit, nocere non consentientibus, [h] et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo qui [i] legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando [k] Apostolus peccatum appellat, Ecclesia Catholica nunquam intellexit peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum

a Aug. l. 1. cont. 2. Epist. Pelag. c. 13. 14. l. 6. cont. Julian. c. 13 et seq. l. 2. cont. Pelagium et Coelest. c. 39. 40. Vide quaest. 3. de Sacramento baptismi in summa doctrinae. christ.

b Rom. 8, 1.

c Rom. 6, 1 — 4.

d Ephes. 4, 22 — 24. Coloss. 3, 5 — 10.

e Rom. 8, 14 — 17.

f Aug. l. 2. de peccat. merit. c. 28.

g Idem l. 2. cont. Julian. c. 9. 10. l. 1. de peccat. merit. c. ult.

h Idem l. 1. de civ. Dei cap. 25. l. 5. contr. Julian. c. 3.

i 2. Tim. 2, 5.

k Rom. 7, 7 — 17.

Digitized by Google

sit, sed quia ex [l] peccato est, et ad peccatum inclinat.

l Aug. l. 6. contr. Julian. c. 23. serm. 6. de verb. apost. c. 1.

V.

De naturae et legis ad justificandos homines imbecillitate.

Ut jam propius ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam accedamus, illud unusquisque agnoscat et fateatur oportet, quod cum omnes homines in praevaricatione Adae [a] innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut [b] Apostolus inquit, natura filii irae, quemadmodum est dictum, usque adeo [c] servi erant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim [d] naturae, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam literam [e] legis Moysi, inde liberari aut surgere possent: tametsi in iis [f] liberum arbitrium minime extinctum esset, [g] viribus licet attenuatum et inclinatum.

Ex sess. 6. cap. 1.
a Coelest. 1. Ep. 1. c. 4. 1. Cor. 15, 21-22. Rom. 5, 12-19.
b Ephes. 4, 3.
c Rom. 6, 14-18.
d Prosp. cont. collat. c. 22. Aug. Epst. 95.
e Fulg. de incar. et grat. Christi. c. 16.
f Aug. l. 1. contr. 2. Ep. Pelag. c. 2. et l. 2. c. 5. contr. fortuna. Manich. disput. 2. l. 3. de libro arbitr. c. 1. 3. l. 3. de grat. et l. arbitr. c. 2. l. 5, de civit. Dei. c. 10. in expos. capitis 5. ad Gal. quaest. 24. ex 83. l. 3. Hypogn. c. 10. Orig. Philocal. c. 21. Homil. 2. ex diversis in c. 13. Matthaei. Chrisost. Hom. 30. in Matth. Hom. 9 et 11. in Joan. Cyril. Hierosol. Cate. 4. illum. Hieron. in Proem. l. contr. Pelagianos l. 2. Jovinian. c. 2.
g Conc. 2. araus. can. 13. 25. Aug. Epist. 95. Prosper. l. 1. de vocat. gent. c. 8.

VI.

De dispensatione et mysterio adventus Christi.

Quo factum est, ut coelestis Pater, [a] Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Jesum filium suum, et ante legem, et legis tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa [b] plenitudo temporis, ad homines miserit: ut et Judaeos, qui sub lege

Cap. 1. sess. 6.
a 2. Cor. 1, 3.
b Galat. 4, 4 — 6.

Digitized by Google

c Rom. 9, 30.

d Galat. 4, 4 — 6.

e Rom. 3, 23 — 26. 5, 8 — 11. 1. Tim. 2, 5.

f 1. Joan. 2, 1.

erant, redimeret, et gentes, [c] quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes [d] adoptionem filiorum reciperent. Hunc [e] proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non [f] solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

VII.

Qui per Christum justificentur?

Cap. 3. sess. 6.

a 2. Cor. 5, 14. 15. Prosp. c. 9. ad obiec. Gallo.

b Aug, Ep. 89. quaest. 3. l. 1. de pecc. merit. c. 28. de nat. et grat. cap. 41. l. 6. contr. Julian. c. 4. 24.

Verum, etsi ille pro [a] omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine [b] Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.

c Col. 1, 12. 13.

Pro hoc beneficio [c] Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

VIII.

Descriptio justificationis impii, et modus ejus in statu gratiae.

Cap. 4. sess. 6.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio

Digitized by Google

ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi [a] Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum. Quae quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: [b] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

a Gal. 4, 4 — 6. Tit. 3, 5.

b Joan. 3, 5.

IX.

De necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, et unde illa sit.

Praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei [a] per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum est, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur: ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et [b] cooperando, disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque [c] homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere [d] potest; neque tamen sine gratia [e] Dei movere se ad justitiam co-

Cap. 5. sess. 5.

a Aug. l. contr. 2. Ep. Pelag. c. 9. 10. de praedest. 5. c. 2. Genad. l. de Eccl. dog. c. 44. Fulg. de incar. et grat. christi c. 18.

b 1. Cor. 3, 9. 15, 10. 2. Cor. 6, 1. 7, 1. 2. Tim. 2, 21. Hebr. 12, 12. 13. Jerem. 7, 3 - 5 sq. Ezech. 18, 21 - 32. Prov. 16, 1. 5. 6. Eccli. 2, 20. Sap. 9, 10. Ps. 26, 9. Ibid. Aug. enarat. 2. et Serm. 13. de verb. Apost. c. 9. et sq. l. 1. Retract. c. 22. Leo. serm. 5. de quadrag. Fulg. de incarnat. et grat. Christi c. 20.

c Aug. de grat. et l. arbitr. c. 2. 9. 15. de Spir. et lit. c. 34. L. 2. de pecc. merito c. 5. de praed. et grat. c. 9. de verb. Apost. serm. 41. c. 1. et Serm. 15. c. 11. Tract. 4. in Epist. Joan. de Praedest. Sanct. c. 3. Chrys. hom. 9. in Joan. Bernard. de grat. et lib. arbitr. Prosp. l. 2. de vocat. gent. c. 26. 27. 28. contr. Collat. c. 26.

d Matth. 23, 37. act. 13, 46. Jerem. 18, 11. 25, 4 - 7. 32, 33. 35, 13 - 17. Zachar. 1, 4.

e Zachar. 1, 3. Cypr. de orat. Dom. Aug. de nat. et grat. c. 18. l. 2. cont. 2. Epist. Pelag. c. 10. Hieron. Epist. 39.

Digitized by Google

ram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis cum dicitur: [f] *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos:* libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: [g] *Converte nos Domine ad te, et convertemur:* Dei nos gratia praeveniri confitemur.

f Malach. 3, 7. act. 2, 38. 3, 19. Eph. 5, 14. Jac. 4, 7. Math. 11, 28. 29. Jerem. 3, 1. 12. 4, 14. 18, 11. Jesai. 1, 16. 40, 3. 45, 22. 46, 8. 55, 1-7. Baruch. 4, 1. 2. Ezech. 18, 30-32. 1. Reg. 7, 3.
g Thren. 5, 21. Jerem. 31, 18. 19.

X.

Modus praeparationis ad justificationem quis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati [a] divina gratia et adjuti, fidem ex auditu [b] concipientes, libere [c] moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt: atque illud imprimis, [d] a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu: et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, [e] quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus [f] peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est, [g] *Accedentem ad Deum oportet credere quia est: et quod inquirenti-*

Caput 6. sess. 6.
a Aug. l. 2. cont. 2. Epist. Pel. c. 9. de Praed. sanct. c. 20. Conc. 2. araus. can. 5. 6. 7. 25. Fulg. de incarn. et grat. Christ. c. 17. 18.
b Rom. 10, 14.
c Aug. Tract. 26. in Joan. de Praedest. sanct. cap. 11. de spir. et lit. c. 31. 32. In Expos. Propos. ex Ep. ad Rom. c. 44. l. 1. quaest. ad Simplician. quaest. 2. Prosp. l. 2. de vocat. gent. c. 27. 28. Euthym. in c. 1. Joan. Isidor. l. 2. de summo bono. c. 2.
d Rom. 3, 24. Aug. de nat. et grat. c. 44.
e Fulg. l. 1. de remiss. peccat. c. 8. 9. 11. Prosp. l. 2. de vocat. gent. c. 27. l. 3. de vit. contempl. c. 12. Aug. Tract. 9. in Epist. Joan. de catechiz. Rud. c. 5.
f Eccli. 2, 21. Aug. Hom. 50. c. 2. ex 50 et hom. 27. cap. 1. Chrysost. hom. 21. ad Antoch.
g Hebr. 11, 6.

Digitized by Google

bus se remunerator sit. Et, *Confide* [h] *fili, remittuntur tibi peccata tua:* et, *Timor* [i] *Domini expellit peccatum*, et, *Poenitentiam* [k] *agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti*, et, [l] *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare, quaecumque mandavi vobis.* Denique, [m] *Praeparate corda vestra Domino.*

h Matth. 9, 2.
i Eccli. 1, 27. 28.
k Act. 2, 38.
l Matth. 28, 19. 20.
m 1. Reg. 7, 3.

XI.

Quid sit justificatio impii, et quae ejus causae.

Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola [a] peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum: unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus; ut sit [b] haeres secundum spem vitae aeternae.

Cap. 7. sess. 6.
a Aug. l. 6. cont. Julian. c. 11. l. 1. Ret. c. 13. Epist. 105. 106. Conc. Milet. can. 3 et 4. Chrysost. Hom. 3. de poenitent. Theophyl. in c. 2. Marci. Vide quaest. 3. de Sacrament. Baptism. in Summa Doctr. Christ.
b Tit. 3, 5 — 7.

Hujus justificationis causae sunt: Finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna: Efficiens vero, misericors Deus, qui [c] gratuito abluit et [d] sanctificat, [e] signans et unguens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae: Meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum [f] essemus inimici, [g] propter nimiam charitatem qua dilexit nos,

c Ibidem.
d 1. Cor. 6, 11.
e Ephes. 1, 13. 14.
f Rom. 5, 8-10.
g Ephes. 2, 4-6.

Digitized by Google

sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem [h] meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item, Sacramentum [i] Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio: demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua [k] ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, [l] renovamur spiritu mentis nostrae: et non modo reputamur, sed vere [m] justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur [n] singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.

Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum [o] charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, [p] fidem sine operibus mortuam et otiosam esse:

h Rom. 4, 25.

i Vide quaest. 1. de Sacr. bapt. in summa doctr. Christi.

k Aug. de Spirit. et lit. c. 9. 11. in Ps. 150. Tract. 26. in Joan. Ep. 120. c. 30. de nat. et grat. c. 63. l. 1. contr. Pelag. et Coelest. c. 30. l. 1. de pecc. merit. c. 9. 10. Concil. Vien. in Clem. l. 1. Tit. 1. de summa Trinitat. et fide cathol.

l Ephes. 4, 23. 24.

m Aug. Ep. 29. Sermon. 16. de Verb. Apost. l. 2. Retract. c. 33. de Spirit. et lit. c. 26. et 27.

n 1. Cor. 12, 11. Ephes. 4, 7. Aug. Epist. 57. Quaest. 1.

o Rom. 5, 5. 2. Cor. 1, 21. 22. August. de mer. et lit. c. 17. 32. de nat. et grat. cap. ult.

p Jac. 2, 14—26.

Digitized by Google

et in [q] Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium; sed fidem, quae per charitatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem; vitam aeternam praestantem: quam sine spe et charitate fides praestare non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt: [r] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram et Christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam aeternam.

q Galat. 5, 6. Chrys. hom. 5. in Joan. Aug. l. 3. contr. 2. Ep. Pel. c. 5. hom. 17. c. 2. ex 50. L. 15. de trinit. c. 18. Greg. l. 6. Ep. 15. Fulg. Ep. 2. c. 8. de incarn. et grat. Christi c. 26.

r Matth. 19, 16-19.

XII.

Quomodo intelligatur, impium per fidem et gratis justificari.

Cum vero Apostolus [a] dicit justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis: sine [b] qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem [c] justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive

Cap. 8. sess. 6.
a Rom. 3, 24. 28. Aug. de Praedest. Sanct. c. 7. serm. 38. de temp.

b Hebr. 11, 6.

c Aug. l. 6. Hypogn. c. 4. l. 1. quaest. ad Simplician. quaest. 2. l. 1. contr. Pel. et Coel. c. 31. Serm. 15. de verb. apost. c. 2. de Spir. et lit. c. 26. Prosp. ad tria prim. dub. genuen. Haymo in c. 3. ad Roman.

Digitized by Google

fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem [d] Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.

d Rom. 11, 5. 6.

XIII.

Contra inanem haereticorum fiduciam.

Cap. 9. sess. 6.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum; nemini tamen fiduciam et cercitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est: cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam Catholicam contentione praedicetur ut vana haec, et ab omni pietate remota fiducia.

Sed neque illud asserendum est: oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione [a] apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat, se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum

a Tob. 9, 28. 30-32. Ps. 18, 13. 14. Eccl. 9, 1. 2. Eccl. 5, 5-7. Prov. 20, 9. 1. Cor. 4, 3-5. August. de perfect. justitiae. c. 15. in Ps. 41. l. 10. confess. c. 32. Hieron. Ep. 127. ad Fabio. mansio. 23. Chrysost. hom. 11. in 1. Cor. Theodor. in c. 4. 1. Cor. Bernard. Epist. 42. et 85. Serm. 2. in octav. Paschae. Haymo in c. 4. 1. Cor. Gregor. l. 6. Epist. 22. Cassian. collat. 22. c. 7. Vide plura testimonia. quaest. 3. de peccat. in Spirit. sanct. in Summa doctr. Christ.

Digitized by Google

suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

XIV.

De acceptae Justificationis incremento.

Sic ergo justificati, et amici Dei ac [a] domestici facti, euntes [b] de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus [c] inquit, de die in diem: hoc est [d], mortificando membra carnis suae, et [e] exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur, sicut scriptum est [f]: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum: [g] *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et rursus: [h] *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum.* Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: [i] Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.

Cap. 10. sess. 6.
a Ephes. 2, 19.
b Ps. 83, 6 — 8.
c 2. Cor. 4, 16.
d Coloss. 3, 5.
e Rom. 6, 11 — 13. Aug. de morib. Eccles. cathol. c. ult. l. 14. de Trinit. c. 17. l. 2. de peccat. merit. c. 7. 13. et 27. l. 6. contr. Julian. c. 7. serm. 16. de verb. apost. c. 5. Fulg. epist. 4. c. 3. Bernard. epist. 31. Conc. Vien. in Clemen. ad nostrum de haeret.
f Apoc. 22, 11.
g Eccli. 18, 22.
h Jac. 2, 14 — 26.
i In orat. dominicae XIII. post pentecost.

XV.

De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.

Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum [a] se esse ab observatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita [b] voce uti, Dei praequaest. 1. de praecept. Eccl. in Summa doctr. christ.

Cap. 11. sess. 6.
a Matth. 28, 19. Hier. Beda et Theophylact. ib. Aug. l. 3. contr. 2. ep. Pel. c. 4. Cypr. de unitat. Eccl. Conc. Vien. in Clem. ad nostr. de haer. vide quaest. 5. de Decalogo et
b Hier. in ex-

Digitized by Google

cepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet [c], sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis. Cujus [d] mandata gravia non sunt, cujus [e] jugum suave est, et onus leve, Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet [f] testatur, servant sermones ejus; quod utique cum divino [g] auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti et justi [h], in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant: non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa [i] vox est et humilis et verax: [k] *Dimitte nobis debita nostra.* Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiae sentire debeant, quo [l] liberati jam a peccato, servi autem facti Deo [m], sobrie, juste et pie viventes, proficere possunt per Christum Jesum, [n] per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus [o] namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide [p] blandiri debet, putans fide sola se haeredem esse constitutum, haereditatemque consecuturum, etiam si Christo [q] non compatiatur, ut et conglorificetur. Nam et

planat. Simbol. ad Damas. Conc. 2. araus. Can. 25.

c Aug. de nat. et grat. c. 43. l. 2. de peccat. merit. c. 6. de grat. et lib. arbit. c. 16. Chrys. hom. 8. de poenit. Leo. serm. 5. de quadrages. Vid. quaes. 6. de Decal. in Sum. doct. christ.

d 1. Joan. 5, 3.

e Matth. 11, 30. August. de nat. et grat. c. 69. Bern. epist. 341. Chrys. in Ps. 111.

f Joan. 14, 12.

g Aug. serm. 61. de tempor. l. 3. contr. Crescon. gram. c. 4.

h Idem de vera et falsa poenitent. c. 5. de Spirit. et Lit. c. 28. Gregor. L. 6. in 1. Reg. c. 2. Beda in c. 26. prov. vel. 24. Vide de peccat. in genere quaest. 3. et de Expiatione pecc. quaest. 2. et 3. in sum. doct. christ.

i Concil. milev. can. 7. et 8.

k Matth. 6, 15.

l Rom. 6, 17.

m Tit. 2, 11 — 13.

n Rom. 5, 1. 2.

o August. de nat. et grat. c. 26. Prosp. Sentent. 7. ad capit. Gallor. et ad object. Vincentia.

p Chrysost. hom. 3. et 9. in Joan. hom. 70. in Matth. in Ps. 110. l. 1. contr. Vitup. monast. Vit. Fulg. l. 2. de remiss. peccat. c. 1. Gregor hom. 29. in Ev. et l. 33. Moral. c. 7. Aug. de grat. et lib. arb. c. 8. Cyril. l. 10. in Joan. c. 16. vid. quaest. 3. de peccat. in Spirit. sanct. et quaest. 1. de bonis operib. in summa doctr. christian.

q Rom. 2, 16. 17.

Digitized by Google

Christus ipse, ut inquit [r] Apostolus, *cum esset filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Propterea Apostolus ipse monet justificatos, dicens: [s] *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item Princeps Apostolorum Petrus: [t] *Satagite,* inquit, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes, non peccabitis aliquando.*

r Hebr. 5, 8. 9.

s 1. Cor. 9, 24-27.

t 2. Petr, 1, 10.

Unde constat, eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, qui dicunt justum in omni bono opere saltem venialiter peccare; [u] aut, quod est intolerabilius, poenas aeternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur [x] aeternam, cum scriptum sit: [y] *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem,* et de Moyse dicat [z] Apostolus, quod respiciebat in remunerationem.

u Job. 1, 22. 2, 10. Matth. 6, 22. Luc. 11, 24-26. 1. Cor. 7, 25-28. 2. Petr. 1, 10. 1. Joh. 3, 6. 5, 18. Ambros. in c. 1. Lucae. Orig. hom. 2. in Lucam.

x 1. Cor. 9, 24. 25. Hebr. 11, 6. 8-10. 24-26. 13, 16. Colos. 1, 4. 3, 22-24. Matth. 4, 17. 5, 11. 10, 41. Luc. 6, 35. 38. 14, 13. 14. 16, 9. 1. Timoth. 4, 7. 8. 2. Paralip. 15, 7. Eccli. 12, 1. 18. 22. Eph. 6, 7. 2. Thessal. 1, 4. Gal. 6, 9. Aug. praefat. in Ps. 31. et in Ps 93. 120. Cyprian. Epist. 9. 16. 56.

y Psalm. 118, 112.

z Hebr. 11, 6. 8-10. 24-26.

Digitized by Google

Cap. 12. sess. 6.

a Aug. l. 6. c. 7 et 8. Hypogn. de correp. et grat. c. 13. Prosp. ad 12. object. Vincentian. Greg. hom. 38 in Evang. Bern. Serm. 2. in octav. Pasch.

b Matth. 24, 11. 12. Ez. 18, 24-26. Aug. Haeres. 82. Hier. l. 2. adv. Jovinian. c. 1 et 2. Aug. de correp. et grat. c. 6 et 7. de dono persever. c. 6. l. 6. de genes. ad lit. c. 28. Prosp. ad 14. object. Vinc. Bern. Epist. 42. Cyril. l. 10. in Joan. c. 16. Theophylact. in c. 26. Matth. Concil. Vien. in Clement. ad nostrum de Haeret.

c Fulg. de fide ad Petr. c. 3. Bern. Serm. 38. ex parvis. Aug. Tract. 33. in Joan. Haec et plura vide quaest. 3. de peccat. in Spirit. sanctum in Summa Doctr. Christ.

XVI.

Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de [a] arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius [b] peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam [c] promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione scirì non potest, quos Deus sibi elegerit.

Cap. 13. sess. 6.

a Matth. 10, 22. 24, 13.

b Aug. de dono perseverentiae c. 1. et 13. de correp. et grat. c. 6.

c Rom. 14. 4.

d Aug. hom. 35 ex 50. l. 11. de civit. Dei c. 12. et l. 20. c. 7. Ep. 121. c. 2. Chrysost. hom. 11. in Ep. ad Phil. Ambros. in Ps. 37. Bernard. Serm. de duplici bapt.

e Philp. 1, 3. 6.

f Philip. 2, 13.

g 1. Cor. 10, 12. Rom. 10, 19-21. Aug. Ep. 107. de dono persev. c. 8. Chrysost. l. 2. de compunct. cord.

h Philp. 2, 12. Aug. de natur. et grat. c. 27. de dono persev. c. 13. — i 2. Cor. 6, 4-8.

XVII.

De perseverantiae munere.

Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est: [a] *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* quod quidem aliunde haberi [b] non potest, nisi ab eo qui potens est, eum qui [c] stat, statuere, ut perseveranter stet; et eum qui cadit, restituere: nemo sibi certi [d] aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut [e] coepit opus bonum, ita perficiet, [f] operans velle et perficere. Veruntamen qui se [g] existimant stare, videant ne cadant: et [h] cum timore ac tremore salutem suam operentur, in [i] labori-

Digitized by Google

bus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes quod in[k] spem gloriae, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna,[l] quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victoria esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: [m] *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

k Rom. 5. 2.

l Bern. Serm. 3. in Vig. Dom. Serm. 5. in Ps. qui habitat.

m Rom. 8. 12. 13. meditat. c. 14. 15.

XVIII.

De lapsis et eorum reparatione.

Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari[a] poterunt: cum excitante Deo per poenitentiae Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres[b] apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit Poenitentiae, cum dixit: [c] *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde dicendum est, Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a Baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut[d] cor contritum et humiliatum: verum etiam eorundem

Cap. 15. sess. 6.

a Aug. hom. 50. ex 50. c. 5. Vide quaest. 1. de Sacram. poenitent. et quaest. 2. in sum. doctr. chr.

b Vide de Sacram. poenit. quaest. 2.

c Joan. 20. 22. 23. Ibid. de Sacram. poenitent.

d Ps. 50. 19. Ibid. quaest. 3 et 4.

Digitized by Google

sacramentalem [e] confessionem saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem [f] per jejunia, eleëmosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia: non quidem pro poena aeterna, quae vel Sacramento vel Sacramentali voto una cum culpa remittitur; sed pro poena temporali, quae, ut [g] sacrae litterae docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati, [h] Spiritum sanctum contristaverunt, et [i] templum Dei violare non sunt veriti. De qua poenitentia scriptum est: [k] *Memor esto unde excideris: et age poenitentiam, et prima opera fac.* Et iterum: [l] *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus: [m] *Poenitentiam agite, et* [n] *facite fructus dignos poenitentiae.*

e Vide quaest. 5 et 6. in sum. doctr. christ.

f Quaest. 7 et 8 de Sacram. Poenit.

g Num. 12, 9. 15. 3. Reg. 12, 7-13. 24, 10-17. Vide praedictam quaest. 7.

h Ephes. 4, 30.

i 1. Cor. 3, 16. 17.

k Apoc. 2, 4. 5.

l 2. Cor. 7, 10.

m Matth. 4, 11.

n Lucae 3, 8.

XIX.

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per [a] dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur; sed etiam quocumque [b] alio mortali peccato, quamvis non [c] amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque [d] fornicarios, adulte-

Cap. 15. sess. 6.

a Rom. 16, 17.

b Jac. 2, 10. Basil. l. 1. de baptism. par. 2. et l. 2. c. 9.

c Matth. 7, 21-23. 26. 27. 25, 1-3. 11-13. Luc. 12, 47. Joh. 12, 42. 1. Cor. 13, 1. 2. Jac. 2, 14. 19. Aug. l. 15. de Trin. c. 18. Tract. 10. in Epist. Joan. Fulg. de incarnat. et grat. Christ. c. 26.

d 1. Cor. 6, 8-11. Gal. 5, 18-21. Eph. 5, 5-7. Apoc. 21, 8.

Digitized by Google

ros, molles, maculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata: a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

XX.

De fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: [a] *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* [b] *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et: [c] *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces [d] ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Haec est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse ajebat [e] Apostolus, a justo judice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos

Cap. 16. sess. 6.

a 1. Cor. 15, 58.

b Heb. 6, 10.

c Heb. 10, 35.

d Aug. de grat. et lib. Arb. c. 8. 9. Epist. 105 et 52. l. 1. contr. adv. leg. et proph. c. 16. de mor. Eccl. cath. c. 25. de correp. et grat. c. 13. Tract. de Epicur. et Stoicis. c. 3. Cypr. de opere et Elemosyn. Epist. 56. 60. Chrysost. hom. 42. in gen. hom. 43. in 1. ad Cor. Greg. hom. 17. in Evang.

e 2. Tim. 4, 7. 8. Aug. hom. 14. ex 50. c. 2. in Ps. 83. Tract. 3. in Joan. Theoph. et Oecumen. in c. 4. Ep. 2. ad Timoth.

Digitized by Google

justificatos jugiter virtutem influat: quae virtus bona eorum [f] opera semper antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quae [g] in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, [h] et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur, cum Christus Salvator noster dicat: [i] *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria, statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quae enim justitia nostra dicitur: quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam qui [k] uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum: et [l] Apostolus testetur, id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in se ipso [m] vel confidat, vel glorietur, [n] et non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas,

f Conc. 2. araus. can. 18. Aug. de correp. et grat. c. 13. de grat. et l. arb. c. 6. Serm. 15. de verb. apost. c. 2. fulg. l. 1. ad Monimum. c. 11. 12.

g Joan. 3, 21.

h Aug. Sent. 113. apud Prosp.

i Joan. 4, 13. 14.

k Matth. 10, 41. 42.

l 2. Cor. 4, 17. 18.

m Aug. de Praedest. Sanct. c. 5. de grat. et l. arbit. c. 6.

n 1. Cor. 1, 28-31. 2. Cor. 10, 17. 18.

Digitized by Google

ut eorum velit esse merita, [o] quae sunt ipsius dona. Et quia [p] in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet: neque seipsum aliquis etiam si [q] nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita, non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei, [r] qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique à Deo, qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.* [s]

o Coelest. I. Epist. I. can. II. in Enchirid. c. 107. Ep. 105. de grat. et lib. arbit. c. 6. Gennad. l. de Eccles. dogm. c. 32.

p Jacob. 3, 2.

q 1. Cor. 4, 4. 5.

r Ibidem.

s Matth. 16, 27. Rom. 2, 5. 6. Ps. 61, 12. 13.

Auctoris Confessio.

Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, creator et redemptor meus, virtus et salus mea, qui jam inde ab infantia me sacro pane verbi tui pascere, et cor meum confortare non desiisti. Ne vero vagarer cum errantibus ovibus, quae sunt absque pastore, in domo Ecclesiae tuae me collegisti, collectum educasti, educatum conservasti, et sub illis magistris atque pastoribus instituisti, in quibus te presentem audiri, et vocem tuam observari domesticis omnibus praecepisti. Confiteor ore ad salutem, quidquid corde ad justitiam ab orthodoxis atque Catholicis creditur. Non novi *—*—*, *—*—* respuo, haereticis omnibus dico anathema. nihil mihi cum his commune esse volo, qui unum non dicunt et sentiunt, eandemque fidei non tenent regulam cum una sancta Catholica, Apostolica, et Romana Ecclesia. Si quis vero Christum non solum in verbo scripto docentem, sed in Oecumenicis etiam synodis judicantem, in Petri cathedra sonantem, et in Patribus testificantem audit ac sequitur, huic ego communione consocior, hujus et fidem amplector, et religionem sequor, et doctrinam probo. Ceterum quam alii blasphemi contemnunt et persequuntur Romanam Ecclesiam, ac velut Antichristianam execrantur, hujus ego me civem esse profiteor, ab ejusdem auctoritate nec latum unguem discedo, ob illius testimonium vitam

Digitized by Google

et sanguinem profundere non recuso, nec alibi prorsus, quam in ejus unitate, Christi Domini merita, et sancti Spiritus dona mihi et aliis salutaria fore confido, certoque persuasum habeo. Cum Hieronymo libere profiteor: Qui Petri cathedrae jungitur, meus est. Cum Ambrosio: Ecclesiam Romanam in omnibus cupio sequi, eamque Catholicae Ecclesiae radicem et matricem cum Cypriano reverenter agnosco. In ea vero fide atque doctrina conquiesco, quam puer hausi, adolescens confirmavi, vir docui, atque hactenus pro mea exiguitate defendi. Ceterum ob nullum commodum temporarium nec in hominis cujuscunque gratiam, vel adversus conscientiam (sic te mihi Deus propitium semper opto) doctoris Catholici partes hucusque sustineo, aut in posterum sustinebo. Quam confessionem non aliud sane a me exigit et extorquet, nisi nominis et honoris tui ratio, nisi agnitae veritatis vis, nisi canonicae scripturae disciplina, nisi Patrum sensus atque consensus, nisi debitum fidei apud fratres testimonium, ac demum nisi exsectata in coelo salus, et proposita sinceris confessoribus beatitudo. Quod si propter ejuscemodi confessionem contemnor, si oppugnor, si traducor, singularem agnosco et praedico gratiam tuam Deus, qui partim velis me propter justitiam pati, quod certe beatorum est; partim nolis mihi benevolos esse illos, quod in magni lucri parte ponendum est, qui tibi amici esse non possunt, cum Ecclesiae tuae et veritati Catholicae palam adversentur. Sed ignosce illis Pater, ignosce: quia vel nesciunt, vel scire nolunt, quae faciant, partim tetri Satanae imperio, partim falsae doctrinae praestigiis impediti. Hanc vero gratiam mihi perpetuo serves oro, ut quam tibi, quam Ecclesiae, quam veritati, sinceram constantiam et constantem sinceritatem debeo, eam tum vivens, tum moriens testatam facere non desistam, neque a caritate tua unquam excidam, particeps nimirum omnium timentium te, et custodientium mandata tua in sancta Romana Ecclesia, cujus demum judicio me scriptaque omnia mea non minus libenter quam reverenter subjicio. Tuam porro immensam bonitatem pro me collaudent, atque deprecentur sancti omnes, sive quos in coelo triumphans, sive quos militans in terris Ecclesia uno et indissolubili Catholicae pacis vinculo firmissime conjungit atque comprehendit. Tu et principium et finis es mihi bonorum omnium: tibi ex me, per me, et de me sit laus, honor, et gloria sempiterna. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

~~Summer 1935.~~

~~MAR 31 1987~~
~~APR 30 1987~~

Digitized by Google

Digitized by Google